

THESES THEOLOGIÆ FUNDAMENTALIS

PARS III

DE FIDE ECCLESIAE CATHOLICÆ

(Ad usum privatum et pro manuscripto)

Collegium Theologicum de Aranzazu

1952



THESES THEOLOGICAE FUNDAMENTALIS

DE FIDE ECCLESIE CATHOLICE
DE FIDE ECCLESIE CATHOLICE
PARS III

(Ad usum breviarium et bfo manuscripto)

Collegium Theologicum de Alcalá de Henares

CONSPECTUS GENERALES III PARTIS



DE FIDE ECCLESIAE CATHOLICÆ

Sub hoc titulo includuntur duo tractatus:

Tractatus I

DE ECCLESIAE MAGISTERIO ET TRADITIONE

Hæc capita complectitur:

- 1) Institutio divina et indoles Magisterii Ecclesiæ.
- 2) Subjectum Magisterii Ecclesiæ.
- 3) Objectum Magisterii Ecclesiastici.
- 4) Fons primarius hujus Magisterii, scil. divina Traditio.

Tractatus II

DE ACTU FIDEI

Has sectiones comprehendit:

- 1) De judicio credibilitatis ante fidem efformando.
- 2) De natura actus fidei.
- 3) De necessitate actus fidei ad justificationem.
- 4) De methodo theologica atque necessitate scientiæ theologicæ.

Appendix

Litt. Enc. **Humani generis**, SS. D. N. Pii Papæ XII



PARS III

DE FIDE ECCLESIAE CATHOLICÆ

Hæc ultima pars nostræ disciplinæ comprehendit duos tractatus, scilicet: *Tractatum I, De Ecclesiæ Magisterio eiusque fontibus*, et *Tractatum II, De Actu Fidei*. Prior pertinet ad theologiam fundamentalem, posterior vero ad theologiam dogmaticam, sed cum fructu traditur in fine primi cursus theologici, tamquam optima introductio et præparatio Theologiæ Dogmaticæ, seu scientiæ fidei.



TRACTATUS I

DE ECCLESIÆ MAGISTERIO EIUSQUE FONTIBUS

Ex præcedenti parte constat Christum instituisse Ecclesiam velut societatem religiosam. Ibi actum est etiam de constitutione sociali huius Ecclesiæ et præsertim de potestate regendi Apostolorum et successorum. Nunc debemus agere de eorum potestate docendi seu de munere doctrinali. Tractatus subdividitur in quatur sectiones: 1.^a Institutio divina et indeoles magisterii ecclesiastici (th. I-II), 2.^a Subiectum Magisterii Ecclesiastici (th. III-VI), 3.^a Obiectum Magisterii Ecclesiastici (th. VII-VIII), 4.^a Fons primarius huius Magisterii (Traditio) (th. IX-X). Methodus sequenda est historicodogmatica. Considerare Ecclesiam ut magistrum eiusque magisterium ut vehiculum et mediatorem revelationis christianæ, en finis tractatus. Momentum tractatus elucet ex eo quod nomen "Theologia Fundamentalis" convenit ei antonomastice et strictiori quodam sensu; vocatur etiam Tractatus De locis theologicis, quia hic determinantur fontes (loci) cognitionis theologicæ et indicantur categoriæ argumentorum seu domicilia et sedes argumentorum ad probandum et refutandum. Propter hanc causam appellatus est etiam "De criteriis theologicis", "Logica Supernaturalis", "De principiis", etc.

THESIS I

Christus misit apostolos suos ad docendos homines suo nomine et sua auctoritate; ita instituit munus magisterii, quod perenne esse voluit in sua Ecclesia

NEXUS.—Hæc est quæstio angularis, cuius decisio distinguit ecclesiam catholicam ab omnibus fere cœtibus christianis. Sicut quoad auctoritatem socialem Ecclesia Catholica profitetur regimen hierarchicum (id est, auctoritatem datam esse a Deo velut munus aliquod a quibusdam exercendum), similiter ad exercendum finem doctrinalem docet eis datum fuisse aliud simile munus. Hinc exurgit dualismus quidam inter gregem et pastores, inter magistros authenticos (Ecclesia docens) et ceteros omnes (Ecclesia

discens). Potestas sanctificandi inducit maiorem adhuc inæqualitatem inter membra Ecclesiæ, quia eos dividit in clericos et laicos.

In thesi iterum agitur de missione apostolorum. Christus omnia sua munera et potestates commisit apostolis. Hanc missionem volumus denuo examinare ut eam accuratius determinemus, inquirendo in eius obiectum partiale, id est, in *missionem doctrinalem* qua iubentur legati Christi ut tales docere homines veritatem a Christo revelatam.

NOTIONES.—*Munus* = institutio stabilis, positiva ordinatione condita et certis quibusdam personis conferenda ad normas iuris vigentis, quæ in se continet quasdam obligationes et iura. *Munus proinde docendi* est missio doctrinalis certis hominibus ab Ipso Christo commissa, quibus obligatio docendi imponitur et auctoritas Christi communicatur, ita ut omnes alii eos audire eosque ut magistros sequi debeant.

Magisterium dicitur *vivum* in oppositione ad magisterium mere scriptum. Magisterium vivum exercetur ab hominibus vivis, sive ope utatur scripti sive voce. Magisterio vivo opponitur auctoritas alicuius libri qui consideratur tamquam norma suprema una cum influxu Spiritus Sancti illuminantis singulos christianos. Germina subiectivismi in hac theoria latentia duxerunt ad hodiernum rationalismum ita ut reiecta auctoritate Ecclesiæ et Scripturæ propria experientia interna admittatur tamquam dux et criterium.

Magisterium vivum dicitur *Traditionale* in oppositione ad inventivum. Magisterium inventivum est illud quod obiective novas semper veritates addere vel philosophando adinvenire potest. Traditionale vero est magisterium quod obiective clausum veritatum depositum custodire, declarare, explicare et tueri tantummodo debet. Tandem magisterium *authenticum* dicit munus a legitima auctoritate institutum; importat ergo in magistro potestatem et officium tradenti doctrinam, in discipulis vero obligationem et ius ad instructionem accipiendam.

ADVERSARI1.—In antiquitate gnostici et Marcion. Adversarii classici sunt Protestantes qui unice admittebant doctrinalem auctoritatem solius Sacrae Scripturæ iudicio individuali intellectæ. Rationalistæ et modernistæ.

CENSURA.—De fide divina et catholica definita, saltem implicite in Conc. Vat. D. 1792, 1798, 1800, 1821, 1836-1839.

PROBAT10.—1. *Quidnam ipse Christus docuerit de munere Magisterii.*

Integral missionem Christi ad apostolos transiisse iam probatum est. Propter hoc præcise Christus appellavit eos *apostolos*, id est, legatos suos, qui suo nomine agunt. Datur identitas inter missionem Christi et apostolorum; eadem missio quam Christus accepit a Patre transiit ad apostolos. Iam vero Christus habuit hanc missionem doctrinalem, Ipse est antonomastice Legatus, Dei, ultimus prophetarum, Mt. 21, 34, qui affert bonum nuntium, Lc. 4, 16, doctrinam novam, Mc. 1, 27. Ergo apostoli habent etiam hanc ipsam missionem doctrinalem, missi sunt a Deo mediante Christo.

Ut hanc missionem recte adimplere possent, Christus instruxit eos speciali modo, præparavit eos ad hoc ut fierent idonei ut docerent gentes suam doctrinam. Jesus appellatur Magister, Jo. 13, 13, et sese gerit ut talis, instruens modo speciali illos qui postea debebat mittere ad docendam suam doctrinam. Multæ instructiones Evangeliorum habitæ sunt coram solis apostolisis.

Præterea Christus verbis explicitis describit munus doctrinale. Apostoli sunt lux mundi, sal terræ, comparantur cum prophetis V. T., Mt. 5, 12,

Certum est quod inter verba Christi habetur illud: *Vos autem nolite vocari Rabbi..., Mt. 23, 8.10, sed ibi tantum excludere vult vanam gloriam, non magisterium quod expresse supponitur v. 34.* Tandem, missio ultima et definitiva clarissime continet mandatum doctrinale, *Mt. 28, 18.*

Uno verbo, missio doctrinalis et prophetica Christi transiit ad apostolos. Apostoli debent nuntiare doctrinam seu revelationem a Christo allatam. Hæc missio importat verum munus doctrinale, id est, obligationem docendi et auctoritatem doctrinalem. Hoc vero munus est perenne, non cessabit donec omnes homines audiant prædicationem Christi, seu usque ad finem mundi.

11. *Ex modo sese gerendi apostolorum.*

In libro Actuum Apostoli apparent tamquam testes Christi, nempe testes personæ, doctrinæ et operis Christi coram omnibus gentibus, testes autorizati, induiti auctoritate mittentis 1,8. Apostoli sciunt tale munus accepisse et illud adimplent et exercent: "cuius nos testes sumus" 2, 32; 3, 15; cfr. etiam 4, 20; 5, 29-32; 4, 33. Christiani vero agnoscebant tale munus apostolorum 2, 42.

Similiter Paulus scit munus magisterii esse velut partem quamdam suæ vocationis apostolice. Evangelium quod ipse prædicat Christiani accipiunt tamquam verbum Dei, quia revera ita est 1 Thes. 2 13. Sive verbis sive scriptis exerceat hoc munus docendi, quod munus postulat acceptationem (submissionem) et admissionem veritatis prædicatae. Hæc doctrina vero non est propria Pauli, sed accepta a Domino 1 Cor. 11, 23; 15, 1-11. Eamdem doctrinam ac ipse docent reliqui Apostoli, ita ut in tota Ecclesia existat quidam "typus doctrinæ" Rom. 6,17, id est, doctrina unica et uniformis. Et hanc doctrinam homines accipiunt per Apostolos, quia ipsi sunt "missi" ad hoc: "quomodo prædicabunt nisi mittantur?" Rom. 10, 15.

Etiam S. Johannes intendit in suis epistolis adimplere munus aliquod doctrinale ut fideles ab erroribus caveantur. Tamquam criterium practicum indicat doctrinam statutam, fixam, apostolicam 2 Jo, 9. Eum qui doctrinam diversam ab apostolica affert, fideles non debent accipere v. 10.

111. *Ex testimonio ætatis post-apostolice.*

Munus apostolicum transiit ad apostolorum successores, et inter elementa talis muneris indicatur Magisterium.

Clemens Rom. Episcopi succedunt apostolis in munere *prædicandi* Evangelium R. 20.

Ignat. Antioch. Episcopi in sententia Jesu Christi sunt R. 38.

In controversiis cum hæreticis evolvitur idea unitatis tamquam argumentum peremptorium doctrinæ christianæ, omnes christiani orthodoxi et omnes ecclesiæ manent uniti et non efficiunt nisi unam Ecclesiam catholicam. Hæc idea unitatis multum effertur a Patribus Apostolicis, idea nempe religionem christianam cum sua forma sociali et doctrina semper immutabiliter eamdem fuisse inde a tempore Christi. Doctrina Christi, commissa Ecclesiæ ad modum depositi (parazeke), mediante traditione (paradosis) conservatur integra et inviolata; forma et constitutio socialis una cum deposito fidei in tuto ponuntur per successionem (diadojé), qua potestates et hierachia perpetuantur. Nulla doctrina potest esse christiana nisi sit apostolica, nulla auctoritas in Ecclesia agnoscitur nisi ab Apostolis deriveatur. Doctrina aliqua accipitur ut christiana unice cum ex traditione ecclesiarum cognoscitur ut apostolica. Itinera quæ faciebant ad comprobandum hunc consensum ecclesiarum... Commercium epistolare... Refutatio monta-

nismi fit ex eo quod hæc doctrina sit diversa ab his "quæ ex successione maiorum Ecclesiæ tradita fuerant" (Eus. Hist. Ecl. I. V. c. 16, n. 7). Egregie et sistematice habetur hoc argumentum apud Irenæum et Tertullianum. Irenæus R. 208, 209, 192, 210, 242. Tertullianus R. 288, 290, 292, 293, 295, 296, 297, 298.

Uno verbo: appetit persuasio universalis Christum doctrinam suam commisso apostolis ut hominum magistris, qui per successionem episcopis hoc munus tradiderunt.

THESES II

Magisterium Ecclesiæ ab Ipso Christo infallibilitate doctrinali prædictum est

NEXUS.—In thesi præcedenti vidimus Christum instituisse magisterium in Ecclesia. Nunc debemus investigare aliquam qualitatem seu proprietatem huius Magisterii, scil. infallibilitatem.

NOTIONES.—*Infallibilitas* = immunitas ab errore talis, ut ipsa quoque possilitas erroris excludatur. Respicit ordinem cognitionis et doctrinæ. Importat non solum factum immunitatis ab errore, sed insuper et præcipue impossibilitatem erroris seu infallibilitatem iuris. Hæc proprietas supponit, ut patet, interventum Dei præternaturalem, assistentiam, seu providentiam specialem ut non incidat docens in errorem.

Distingue *infallibilitatem* ab *inspiratione* et *revelatione*. In revelatione Deus communicat homini aliquam veritatem, in infallibilitate non est quæstio de origine veritatis utrum procedat a Deo necne. Inspiratio est influxus quo Deus fit realiter auctor libri, liber fit formaliter verbum Dei, infallibilitate vero decisiones Magisterii manent verbum humanum.

ADVERSARII.—Charisma infallibilitatis existens in Ecclesia negaverunt in antiquitate gnostici. Reformatores s. XVI admittentes infallibilitatem Apostolorum, negaverunt infallibilitatem Ecclesiæ. Protestantes liberales, modernistæ, relativistæ, evolutionistæ, etc. respunnt originem supernaturalem Ecclesiæ et ideo negant omne donum charismatum et nequeunt admittere quodcumque munus stabile doctrinale a Christo institutum.

CENSURA.—Ut in thesi præcedenti.

PROBATIO.—1. *Christus apostolis suis dedit prærogativam infallibilitatis.*

1) Ex identitate missionis Christi et Apostolorum. Magisterium Christi transit ad Apostolos. Jam vero Magisterium Christi est infallibile...

2) Ex sanctione. Christus obligavit homines ad admittendum prædicationem et doctrinam Apostolorum sub gravissimis poenis, Mt. 10,15; Mc. 16, 16. Jam vero non potest ita obligare ad admittendum errorem. Ergo doctrina Apostolorum debet esse vera; Apostoli, quatenus legati Christi debent esse infallibles.

3) Ex assistentia promissa. En textus: ...

a) Mt. 28,20. Hæc pericopa est velut compendium totius Evangelii. Ex ipsa optime intelligitur nomen *Apostolorum* positum ab Ipso Jesu et totus modus sese gerendi quem Christus habuit cum illis. Postquam eos instruxit et præparavit nunc forma sollemni complectitur omnia quæ antea indicaverat. Instructi sua auctoritate et potestate, suo nomine et mandato debent exire in mundum, ut universum Christo acquirant. Agitur de missione doctrinali, nam debent prædicare bonum nuntium Christi. In quo consistenter hoc bonum nuntium scimus ex Catechesi primitiva. (Cfr. Act. 2, 38; 20, 21; 1 Thes. 1, 10). Missio igitur Apostolorum simul est sanctificatoria et doctrinalis, supponit revelationem Christi seu Evangelium. Cum verbis illis "Ecce Ego vobiscum sum" promittitur assistentia, præsidium et adiutorium. Huius assistentiæ obiectum non est præservatio malorum physicorum, nam prædictit eis magnas persecutiones (Math. 5,11; 10, 16; 23, 34; 24, 9...); hæc assistentia respicit munus apostolicum. Apostolis et successoribus usque ad finem mundi assistentia sua iuvabit ut munere suo sanctificatorio et doctrinali fungi possint. Hæc assistentia importat infallibilitatem, nam datur ad hoc ut possint prædicare doctrinam Christi integrum et genuinam et hæc assistentia non potest non obtinere effectum. Ergo in proponenda doctrina Christi Apostoli sunt infallibles.

b) Joh. 14, 15,25; 15, 26; 16, 7. Assistantia promissa de qua in Math, fiet per Spiritum Sanctum. Christus mittet Apostolis suis Spiritum Sanctum, et quidem ut Spiritum veritatis. Vocat eum "*Paraclitum*", verbum quod significat "in auxilium vocatus", ergo in adiutorium, et species adiutorii determinatur voce "veritatis". Hic Spiritus amat et docet veritatem; adiutorium promissum est ergo doctrinale. "*Alium Paraclitum*" dicit, nam vices gerit Christi, qui fuerat Magister discipulorum dum viveret in terris. Hic Spiritus permanebit cum eis pro semper.

c) Lc. 24, 46; Act. 1, 8. Promittitur auxilium speciale, supernaturale, doctrinale ut possent evadere testes *fideles Christi eiusque doctrinæ*. Tale auxilium est efficax. Cum eo Apostoli fiunt magistri infallibles. Una cum munere doctrinali charisma infallibilitatis transire debet ad successores Apostolorum.

11. *Apostoli sibi infallibilitatem attribuerunt.*

Sufficiat allegare epistolam ad Gal. Prædicatio Pauli tali modo est vera ut si angelus Dei veniens e cælo contrarium doceret, eo ipso anathema esset, quia verbum Dei perverteret 1, 6 ss. Et hoc est notatu dignum: talem prærogativam Apostolis competere omnes admittebant; in casu dubium erat utrum Paulus haberet hanc dignitatem apostolicam et ideo pergit probare titulos sui apostolatus legitimi.

1 Tim. 3, 15 Ecclesia, columna et firmamentum veritatis. Vi Spiritus Sancti assistentiæ Ecclesia permanet ab omni errore immunis.

III. *In Ecclesia post-apostolica.*

Ignat. Christus auctor Ecclesiæ inspiravit in ea incorruptionem Eph. 17, 1. Ideo opus est permanere in sententia episcopi R 38. *Irenæus* R 226.

Scholion. De exspectatione parusiae ab Apostolis. Contra doctrinam in thesi propositam aliqui affirmant Apostolos proximum adventum Christi certo tenuisse, id christianos docuisse et ita ipsos errasse et Ecclesiam in errorem adduxisse. Imprimis notandum est infallibilitatem referri unice ad

munus apostolicum; Apostoli sunt proinde infallibiles, unice quatenus legati Christi qui authentice proponunt eius doctrinam. In aliis possunt errare. Exemplum classicum habetur Act. 20, 25; 1 Tim. 1, 3; si Paulus erravit in hac affirmatione, hagiographus errorem potest referre. Alia quæstio est utrum accidere possit quod Apostolus, ut legatus Christi, doceat verum (tempus parusiæ esse incertum), tamquam opinionem vero personalem manifestet suam persuasionem subiectivam seipsum adhuc vivum parusiam Domini visurum esse. Ad hoc respondendum videtur quod hæc distinctio incompatibilis est cum inspiratione, nam omne quod hagiographus affirmat vel insinuat a Spiritu Sancto assertum debet retineri. D 2180.

Sed videamus iam quæstionem de facto. Docueruntne revera Apostoli adventum Christi ut brevi instantem?

Ex omnibus antea probatis nos scimus Apostolos persuasum habuisse de adimplectione salutis messianicæ in hac Ecclesia præsenti: "dies novissimi" (ætas messianica) iam advenirent Act. 2, 17. Hoc tempus messianicum durabit usque ad alterum Christi adventum Act. 1, 11. Tractus temporis qui debet transcurrere ex primo ad alterum adventum est incertus. Certum est singulos christianos non fuisse certos seipsos vivituros esse tempore parusiæ, nam plures christiani quotidie moriebantur, et notum erat inter fratres effatum Domini de morte Petri et aliud de sorte Johannis ab Ipso refutatum ut male intellectum Jo. 21, 20. Quæstio proinde est hæc: num Apostoli et christiani primævæ Ecclesiæ persuasum habuerint parusiam Domini tam proxime instare ut certe homines tunc viventes (aliqui saltem ex Apostolis, ut Johannes) eam visuri essent.

1 Thes. 4, 13 ss. Ex diligentí consideratione omnium quæ in duabus epistolis ad Thes. habentur et ex eo quod verba admittunt hunc sensum, probabilius est sensus conditionatus: "si scilicet tunc adhuc vivimus et relinquimur... quotquot residui erimus".—1 Cor. 15, 51. Non omnes morientur sed omnes immutabuntur; sensus est clarus: aliqui adhuc vivi videbunt alterum adventum Christi. Numquid Paulus existimavit seipsum ad talium numerum pertinere? Non videtur, nam in eadem epistola 6, 14 loquitur de resurrectione in prima persona plurali. Certum iudicium quosnam ex tunc viventibus tempore parusiæ vivituros esse Paulus non fulit. Ille vult loqui conditionate: illi qui morientur ante adventum Christi resuscitabuntur, alii qui vivi videbunt Christum tantum immutabuntur. Quod unice videtur admitti posse est hoc, scilicet, Paulus supponere possibilitatem parusiam evenire posse tempore suæ vitæ et etiam exprimit desiderium huius parusiæ, desiderium quod postea, in ultimis epistolis convertitur in desiderium mortis, Phil. 1, 23.

Jac. 5, 7 ss. nomine parusiæ intelligit et iudicium universale et particolare. Similiter Petrus, qui exspectat suam mortem, 2 Petr. 1, 14, iam antea a Christo vaticinatam, Joh. 21, 18. Joh. refutat opinionem sparsam inter fratres ipsum non esse moritum; Joh. 14, 3 habetur locus de iudicio particuliari.

Uno verbo: aderat certe persuasio Christum ad iudicium universale reditum esse, sed tempus huius adventus erat incertum; poterat contingere brevi, tempore illius generationis, si signa data a Christo præcedebant. Desiderium parusiæ ob Christi amorem vel ob pericula et tribulationes quæ opprimebant christianos fovebat et dabat "actualitatem" huic possibilitati.

THESES III

Episcopi, licet singuli vel etiam in conciliis particularibus congregati infallibilitate docendi non polleant, fidelium tamen suis curis commissorum, sub auctoritate Romani Pontificis, veri Doctores seu Magistri sunt (J. C. 1326)

NEXUS.—In hac et sequentibus thesibus iam agere debemus de subiecto Magisterii ecclesiastici, id est, considerare debemus quinam sint illi qui in Ecclesia exercent hoc munus doctrinale, seu magistri authenticici per voluntatem Christi. Scimus iam Apostolos exercuisse hoc munus; sed nobis agendum est de successoribus Apostolorum in hoc munere doctrinali. Qui sunt hi successores? Suntne infallibilis? quibus conditionibus?—Apostolos, constituentes Collegium fuisse infallibilis, eruitur ex verbis Christi; singulos fuisse infallibilis constat etiam ex consensu Ecclesiae primitivæ; sed eodem consensu apparet hanc prærogativam fuisse personalem, minime transiisse ad successores.—In hac thesi agimus de auctoritate doctrinali *singulorum* episcoporum, in sequenti vero de auctoritate doctrinali *totius Collegii Episcoporum*. In V th. de infallibilitate Romani Pontificis, in VI th. de auctoritate doctrinali Congregationum Romanarum.

NOTIONES.—Episcopi intelliguntur Ordinarii seu Residentialis cum exclusione Auxiliarium et Titularium (CJC 329). Dicitur Concilium particolare per oppositionem ad Concilium Æcumenicum; potest esse Provinciale (CJC 272, 283) vel Plenarium (CJC 281).

Veri *magistri* et *doctores*, id est, sunt *magistri authenticici*. Actus magisterii, ut determinantur in thesi, sunt *authenticici*, scil. positi ex vera auctoritate doctrinali, religiosa, cui ex voluntate Christi debetur subiectio interna religiosa, at non infallibilis. Non omne magisterium authenticum importat infallibilitatem. Ad hoc ut sit infallibile magisterium debet implere has duas conditiones: 1.^o ut gaudeat plena auctoritate doctrinali (in singulis episcopis non impletur hæc prima conditio); 2.^o ut velint exercere magisterium gradu summo (ergo si non vult proponere doctrinam modo absoluto seu definitivo non est infallibile). Præter magistros authenticos existunt organa auxiliaria in Magisterio, quæ gaudent vera auctoritate doctrinali, sed infallibilia minime sunt. Ecclesiae est determinare ambitum et potestates singulorum magistrorum. Magisterium infallibile debet infallibiliter scire et scit illa omnia quæ sunt necessaria ad hoc ut possit obtinere finem suum. Atqui ad hoc opus est ut sciat ambitum sui muneris, conditions exercitii etc. Ideo argumentum ex usu magisterii est certissimum et principium fundamentale in tota hac materia.

ADVERSARI11.—Per defectum, Protestantes, rationalistæ, modernistæ. Per excessum, Pistorienses. D 1506 ss.

CENSURA.—Quod Episcopi sint magistri authenticici, de fide divino-catholica D 1821. Quod singuli vel in synodis particularibus congregati non sint infallibilis, saltem doctrina catholica. CJC 1326.

Thesis habet duas partes, scilicet positivam et negativam.

PROBATIO.—I Pars. *Quod Episcopi sunt magistri authentici ex institutione Christi.*

1) *De singulis episcopis.* Ex eo quod episcopi sunt successores Apostolorum in eorum munere ordinario. Ipse est verus doctor fidelium sibi commissorum. Reliqui qui docent fideles sunt deputati ab ipso CJC 1327. Episcopus exercet magisterium prædicatione, instructionibus, per parochos et alios; sed hi omnes egerint missione canonica CJC 1328, 1337. Omnis instructio religiosa dependet ab episcopo: cæthesis CJC 1336, sermones CJC 1337, scholæ CJC 1381. Huic magisterio debetur submissio ex parte subditorum, et obædientia religiosa, interna, intellectus.

2) *De synodis particularibus.* Auctoritas doctrinalis horum synodorum est eadem ac episcoporum synodus constituentium. Decreta synodi obligant in territorio uniuscuiusque episcopi CJC 291,2 et quidem ea obligatione quæ correspondet auctoritati doctrinali episcoporum, neque approbatio ex parte Congregationis Romanæ Concilii plus eis auctoritatis confert.

PROB.—II Pars. *Quod Episcopi vel singuli vel in Conciliis particularibus congregati, non sunt infallibilis.*

1) *Singuli Episcopi.* Secundum fontes Jesus promisit infallibilitatem Collegio Apostolorum, ut tali. Ergo infallibilis sunt Episcopi ut collegium, id est, si in consensu doceant. Traditio primitiva tenet infallibilitatem *singulorum Apostolorum*, minime vero *singulorum Episcoporum*; ideo quærebatur consensum Episcoporum; ita Ignatius, Hegesippus, Irenæus, Tertullianus... Ergo supponitur Episcopos singulos posse errare. R 209, 237, 241. Experientia omnium temporum constat Episcopos, si recedant a consensu Magisterii universalis, posse errare, et multos in errores incidisse.

2) *Synodi particularis.* Sæc. II exeunte habemus synodum congregatum Ephesi a Polycrate de quæstione Paschatis; decisio huius synodi contra consensum aliarum ecclesiarum, quæ omnes cum romana consentiebant, non fuit admissa; immo Papa Victor voluit excommunicare episcopos; ergo clarum est quod infallibilitas minime tribuebatur concilio particulari. Idem apparebat ex conciliis particularibus a S. Cypriano congregatis de baptismo hæreticorum.

THESS IV

Episcopi sunt infallibilis quatenus constituunt Magisterium Ecclesiæ universale et supremum, vel dispersi per orbem (Magisterium ordinarium exercentes), vel collecti in Concilio Æcuménico (Magisterium exercentes extraordinarium)

NEXUS.—Sicut ecclesiæ particulares subsistunt in et per Ecclesiam Universalem ita Episcopi pertinent ad universale Magisterium. Nunc ergo debemus considerare Episcopos ut membra totius Collegii Episcoporum sub R. Pontifice.

NOTIONES.—*Magisterium Universale* est corpus magistrorum authentorum, qui et quatenus docent Ecclesiam totam. Exercitum hujus Magisterii potest esse ordinarium et extraordinarium. *Ordinarium* est consensus formalis —in docendo— episcoporum, qui dispersi suam quisque diœcesim regunt; consensus scil. episcoporum inter se et cum capite omnium, cum R. Pont. Consensus formalis dicitur in oppositione ad materialem seu objectivum tantum, quo plures inter se consentiunt, quin de ipso consensu sciant; requiritur autem consensus formalis, ut vinculum illud habeatur, quo ex episcopis localiter dissitis collegium et corpus doctrinale constituatur, vinculum nimirum morale et sociale.

Magisterium Universale *extraordinarium* addit insuper localem conjunctionem magistrorum in Concilio œcuménico.

ADVERSARI.—Protestantes, Rationalistæ, etc.

CENSURA.—De fide implicite definita, præsertim in Conc. Vaticano, quoad utramque partem. D 1792, 1839, D 349, D 1723.

Thesis habet duas partes: I De Magisterio Episcoporum ordinario et universalis; II De Magisterio Episcoporum extraordinario (Concilium œcuménicum).

PROB.—I Pars. *De Magisterio ordinario infallibili.*

Jam probatum est Christum dedisse infallibilitatem Apostolis. Constat etiam Apostolorum munera esse perennia et episcopos esse successores Apostolorum in his muneribus, ergo... Si episcopi, quatenus constituunt magisterium universale et in mutuo consensu docent Ecclesiam, errare possent, tota Ecclesia in errorem induceretur, quæ per voluntatem Christi eos ut magistros sequitur.

Hæc est etiam persuasio Ecclesiæ primævæ ut ostendit argumentum ex consensu. Ignatius R 38. Hegesippus R 188, Irenæus R 242, Tertullianus R 293.

PROB.—II Pars. *De Magisterio Episcoporum extraordinario (Conc. œcuménicum).*

Post probatam primam partem nullum dubium esse potest de auctoritate infallibili Concilii œcuménici, nam Concilium œcuménicum nihil aliud est nisi Collegium Episcoporum totius Ecclesiæ Universalis, præsentia et associatione *locali* coadunatorum, id est, congregatio omnium personarum quæ in Ecclesia auctoritate doctrinali gaudent. Inter hos episcopos necessario includi debet Rom. Pontifex.

Scholion.—*De magisterio ordinario et universalis.* Si singuli Episcopi possunt errare tamquam magistri diœcesum suarum, quomodo intelligitur quod sint infallibilis quatenus membra Magisterii universalis? Ex assistentia Spir. Sancti, quæ unice Ecclesiæ Universalis Magisterio promittitur. Hoc magisterium constituitur consensu episcoporum inter se et cum Rom. Pont. capite Ecclesiæ Universalis. Rom. Pont. locum essentiale obtinet in exercitio hujus Magisterii Universalis et Ordinarii, D 1836. Consensus singulorum pastorum cum pastore omnium ostendit Ecclesiæ Catholicæ unitatem admirabilem. Quoad objectum vero hujus Magisterii Ordinarii, in genere idem est ac objectum Concilii Universalis; verum est quod D 1792 non loquitur nisi de veritatibus quæ tamquam divinitus revelatæ credendæ pro-

ponuntur, sed hoc est quia Concilium noluit definire sententiam apud theologos certam veritates cum revelatis connexas etiam pertinere ad objectum Magisterii Universalis. At nostris diebus si doctrina aliqua unice per Magisterium ordinarium proponatur, practice nobis non sufficienter constat de propositione illius veritatis tamquam revelatae. Ratio non est defectus auctoritatis Magisterii Ordinarii, sed solummodo defectus formæ sollemnis et clare circumscriptæ qua gaudet Magisterium sollempne. Nulla veritas potest considerari ut definita nisi id manifeste constiterit, CJC 1323, 3; et ideo veritati a solo Magisterio ordinario, ut tali, proposita non adscribitur talis certitudo ut hæreticus dicatur qui eam negaverit. Sed ex alio capite hoc Magisterium utilissimum evadit, immo et moraliter necessarium, nam habet partes præcipuas in præparandis definitionibus sollemnibus.

Paragraphus D 1792 dirigitur contra illos qui dicunt non esse obligationem credendi nisi ea quæ Concilia definiverunt et non agnoscunt obligationem credendi ea quæ Ecclesia per orbem dispersa docet. Verba "tamquam divinitus revelata" adhibentur ne scholarum opiniones, etsi certæ, "inserantur doctrinæ fidei; nam si dicitur Ecclesiam aliquid docere tamquam divinitus revelatum, non est possibile esse solummodo opiniones scholæ" (Relator).

Conditio et causa formalis infallibilitatis Episcoporum per orbem dispersonum est vinculatio cum Romano Pontifice.

Scholion.—De Concilio Æcuménico. Quæ conditiones requiruntur ad hoc ut concilium dici possit œcumenicum? Imprimis non requiritur præsentia physica omnium episcoporum. Ex Conciliis quæ hucusque celebrata et ut universalia agnita sunt historia præbet indicia magni valoris e quibus appareat quid requiratur ad universalitatem concilii œcumени. In prioribus conciliis fere omnes episcopi erant orientales.—Nec requiritur unanimitas inter episcopos congregatos. Legislatio Concilii Æcuménici CJC 222 ss. Membra sunt episcopi residentiales, etiam nondum consecrati (episcopi non ratione ordinis, sed ratione iurisdictionis sunt iudices doctrinales). Episcopi qui non possunt assistere mittere debent procuratorem. Præsentia physica seu absoluta non est necessario quærenda, nam Christus fundavit Ecclesiam ad modum societatis humano modo regendæ; sufficit ut episcopi Ecclesiam docentem Universalem repræsentent; hæc universalitas resplenduit in Vat. melius quam in ceteris Conciliis. Neque quærendum est consensus physice et absolute unanimis neque moraliter unanimis, nam possibile est numerum episcoporum dissidentium esse sat magnum.—Maximi momenti est etiam habere præ oculis partes Rom. Pont. in Concilio. Ipsius est convocare, dirigere et confirmare Concilium. Priora Concilia ab Imperatoribus convocata fuerunt. Quoad partes Rom. Pont. in directione priorum Conciliorum cfr. R 2018, D 143. Ius confirmandi concilium est omnium gravissimum. Omnia Concilia debent suam auctoritatem confirmationi Papæ. Ex quo votum Papæ unitur vocibus aliorum membrorum habemus iam totam Ecclesiam docentem. Votum Papæ est qualitative diversum ab aliis et in specie necessarium, quod de nullo alio dici potest. Papa potest non confirmare etiamsi ad unum omnes episcopi congregati consentiant de aliqua veritate definienda; poterit reprobare aliquod decretum conciliare etc. (cfr. D 657 nota 2; cfr. etiam Dieckmann n. 741 de definitione infallibilitatis pontificiæ in Vat.).

Causa infallibilitatis Conciliorum est assistentia Spiritus Sancti; igitur argumenta possunt esse falsa, debilia etc. Et tamen doctrina definita erit infallibiliter vera.—Controvertitur apud theologos utrum in Ecclesia adsit unum subjectum infallibilitatis (Rom. Pont.) vel duo subjecta inadæquate distincta (Rom. Pont., Collegium Episcoporum cum suo capite Rom. Pont.).

Regula capitalis ad Concilia bene interpretanda est indagare intentionem Patrum, quid voluerunt dicere, quid intendebant definire, et hoc eruitur ex historia Concilii. Pariter præ oculis habendum est definitiones esse strictæ interpretationis. Non verba, sed sensus est de fide, sed aliquando verbum etiam est obiectum definitionis, D 877. Distinctio inter capita et canones, ut si canones tantum essent de fide, teneri nequit. Obiter dicta vel res illustrationis causa additæ non censemur esse definitæ. (Schema Conciliorum Ecumenicorum, textus B. A. C., p. 658-9).

THESES V

**Romanus Pontifex, cum ex cathedra loquitur, ea infallibilitate pollet,
qua divinus Redemptor Ecclesiam suam instructam esse voluit**

NEXUS.—Hucusque egimus de auctoritate doctrinali Episcoporum, nunc debemus considerare magisterium, et quidem extraordinarium, Papæ.

NOTIONES.—*Romanus Pontifex*: non Sedes sed persona in Sede Petri sedens; non solum complexive universa series sedentium sed etiam singulatim seu unaquaque persona legitime sedentium in Petri sede; non autem ut privata persona, sed ut persona publica, non ut episcopus urbis Romæ, sed reduplicative qua successor S. Petri in Primate supra universam Xti. Ecclesiam.

Ex Cathedra. Ut habeatur definitio ex cathedra hæ quatuor conditiones necessario requiruntur: Ut aliquid doceat: 1) munere fungens universalis Pastoris et Doctoris omnium fidelium; 2) auctoritatem in Apostolo Petro sibi datam supremo gradu exercens; 3) doctrinam de fide vel moribus universæ Xti. Ecclesiæ proponens; 4) et quidem tenendam definiens, id est, ad absolutum mentis assensum omnes obligans atque ultima et irrevocabili sententia rem decidens.

Ea infallibilitate pollet qua... His verbis omnimoda æqualitas statuitur inter infallibilitatem Papæ et infallibilitatem Ecclesiæ.

Ergo in thesi asseritur: Romanum Pontificem, seorsum, extra concilium universale et absque magisterio universali, esse infallibilem sub conditionibus dictis.

ADVERSARI1.—In genere omnes qui vel Primum Rom. Pont. vel Ecclesiæ infallibilitatem negant. In specie vero fautores theoriæ Conciliarismi (plures Canonistæ et Theologi saec. XIV et XVI), Gallicani sive rigidiores (ut Richer, Febroniani et Pistonienses) sive mitiores (D 1325). Orientales Schismatici, qui nihil vehementius negant quam Papæ infallibilitatem. Vetero-Catholici seu secta ab his efformata qui novæ Vaticani definitioni sese submittere renuerunt.

CENSURA.—De fide divina definita D 1838-1840 (Conc. Vat. sess. IV, 18-7-1870; aderant Patres 535, ex quibus responderunt placet 533, non placet, 2; Pius IX confirmavit decisionem in ipsa sessione).—Ut detur definitio ex cathedra requiritur in Papa intentio manifesta definiendi. Quoad objectum vero infallibilitatis (tam Papæ quam Ecclesiæ) hoc est tenendum: quod infallibilitas extenditur ad dogmata fidei definienda est veritas revelata; quod infallibilitatis ambitus extenditur ad veritates connexas cum revelatis, est saltem theologie certum.

PROBATIO.—1) *Velut conclusio thesis præcedentis.*

Ex ea scimus Concilium Æcumenicum esse infallibile cum aliquid sollempni iudicio definit. A- Conc. Vat. thesim nostram definitivit. E.

2) *Ex verbis Christi.*

a) Habemus in primis celebres illos textus de promissione et collatione Primatus Mt 16, 18 ss.; Jo 21, 15-17. Primatus qui hic continetur, *supposita indole doctrinali Ecclesiæ*, importat magisterium summum et infallibile. Primatus revera dicit auctoritatem summam et absolutam in Ecclesia cui omnes debent sese submittere. Jam vero talis auctoritas in ordine doctrinali si non est infallibilis esset in interitum Ecclesiæ, nam si Primas errat, aut Ecclesia eum sequitur aut non; si eum sequitur, actum esset de doctrina Christi genuina; si non sequitur, actum esset de unitate, organisatione et constitutione sociali statuta in Ecclesia ab ipso Christo.

b) Habemus etiam pericopam Lc 22, 31. Hic Christus promittit Petro auxilium supernaturale, absolutæ efficaciæ, pro ipso et cæteris apostolis, in ratione ad fidem. Dubium esse potest num verba respiciant tempus immediate futurum, scil. tempus Passionis, nam sequitur prædictio negationis; attamen videtur verba sensu generaliore intelligi posse, de relatione nimirum Petri ad alios apostolos atque ad totam Ecclesiam tamquam supremi magistri omnium. Si Petrus in hoc summo discrimine præservatur assistentia Christi idem dicendum erit de tempore futuro, præsertim cum Petrus supponatur dux et magister cæterorum apostolorum. Utrum in hoc textu describatur primatus doctrinalis Petri Vaticanum noluit decidere.

3) *Ex historia Ecclesiæ.*

In tota Ecclesiæ historia Sedes Romana et in ea Summus Pontifex apparet evidenter agnitus velut centrum unitatis in fide et ut fidei criterium, velut supremum et ultimum tribunal appellationum in doctrina, fons decisionum definitivarum, etc. Jam vero hoc necessario importat agnitionem ipsius Pontificis infallibilitatem. Attamen, sicut in quæstione de Primatu jurisdictionis quidam progressus in agnitione hujus dogmatis asserendus videtur. Vestigia non desunt ne in initiiis religionis christianæ.

Ignatius R 53 De auctoritate doctrinali Ecclesiæ Rom.

Hegesippus R 188 Iter fecit Romam ut genuinam traditionem Apostolorum tamquam ex fonte certissimo hauriret.

Irenæus R 210. Hic videtur esse sensus hujus celeberrimi textus. Sanctus vult statuere fontem ex quo haurire possimus genuinam doctrinam Xti. et Apostolorum; hic fons est traditio apostolica. Sed ubinam invenitur hæc traditio? Adest in omnibus ecclesiis gubernatis ab episcopis, Apostolorum successoribus; ideo consensus harum ecclesiarum est argumentum peremptorium veritatis ab apostolis acceptæ. Sed quoniam hic processus est longus, ille vult uti via compendiaria indicans solummodo successionem apostoli-

cam in Ecclesia Romana, cum qua omnes aliae debent convenire. Id est, ecclesia Romana, propter potentiores principalitatem, certo et necessario habet veritatem; ergo omnes aliae, si velint permanere in recta fide, debent cum illa consentire. Falsum est Irenaeum affirmare omnes ecclesias particulares esse infallibles, pari jure ac romana.

Tertullianus R 293, 294, 296.

Constat quod jam versus finem s. II auctoritas doctrinalis hujus ecclesiae exercebatur extra et ultra limites romanos. Nec mirum si tale magisterium ab aliquibus impugnaretur vel non clare agnosceretur. Ex saeculis sequentibus innumera facta et citationes Patrum possunt adduci (Cfr. Salaverri, B A C, n. 616; et ss.). Verba ipsorum Romanorum Pontificum in quibus apparet conscientia hujus infallibilitatis (Cfr. D Index Systematicus). Antiqua Concilia Ecumenica D 112, 143, 288, 433, 460, 694.

Scholion.—Objectiones quædam celebres contra infallibilitatem Papæ. Causa Liberii K 550 ss., Vigilii D 213 ss., Honorii D 251 ss., etc.

THESSIS VI

Decisiones doctrinales Congregationum Romanarum, licet de se infallibles non sint, postulant tamen non solum silentium obsequiosum, sed per se etiam assensum mentis internum et religiosum

NEXUS.—In thesi praecedenti egimus de magisterio extraordinario Papæ; nunc vero agere debemus de ejus magisterio ordinario (non infallibili). Jam vero hoc magisterium exercetur duplici modo:

1.^o Ab ipso Romano Pontifice (per suas Encyclicas, Constitutiones, etc.).

2.^o A Congregationibus quæ ejus nomine agunt. In thesi sermo est de hoc altero modo, nam auctoritas doctrinalis Congregationum eadem est ac Rom. Pontificis magisterium ordinarium exercentis.

NOTIONES.—Quid veniat nomine Sanctæ Sedis C J C 7, Curiæ Romanæ C J C 242, Congregationes vero Romanæ sunt Collegia Cardinalium ad agendum de negotiis ecclesiasticis. Auctoritas earum est ipsa auctoritas R. Pontificis (Dieckmann n. 776). Decisiones vero doctrinales unice dat Congregatio S. Officii (CJC 246 ss.) et Commissio Biblica (D 2113).

Decisiones Congregationum possunt a Rom. Pontifice approbari *in forma communi et in forma specifica*. Approbatio in forma specifica reddit decisionem doctrinalem Congregationum actum ipsius Rom. Pontificis (Cfr. Decretum *Lamentabili*); auctoritas talis decreti potest esse varia pro intentione Rom. Pontificis, vel absoluta vel non absoluta. Approbatio vero in forma communi non transfert actus Congregationis in actus pontificios; decreta remanent actus Congregationis et proinde non sunt infallibles. Formulæ adhibitæ quibus agnoscitur approbatio in forma communi et in forma specifica (Dieckmann, n. 778). His decretis in forma communi approbatis debetur assensus religiosus et internus, sed non absolute certus, quia non

excluditur absolute possiblitas erroris. "Si tamen, in aliquo casu extraordinario docti catholici censerent graves rationes contra decretum doctrinale datum exsistere, possunt privatim ac reverenter eas Sanctæ Sedi proponere, dummodo parati essent ultimo ejus decisioni acquiescere" (Maroto).

ADVERSARII.—In genere, omnes qui negant auctoritatem doctrinalem Rom. Pontificis. In specie, Jansenistæ cum suo "silentio obsequioso". D 1350, Semirationalistæ qui obligationem assentiendi restringunt ad fidei dogmata infallibiliter definita D 1683, 1722; et Modernistæ D 2007.

CENSURA.—Doctrina Catholica. Cfr. D 1683, 1698, 1820, etc.; et nuperim "Humani Generis".

PROBATIO.—Ex natura harum Congregationum: Hæ Congregationes non sunt nisi organa R. Pontificis; habent auctoritatem participatam ab ipso, ergo auctoritatem doctrinalem veram, religiosam, hierarchicam. Proinde his debetur submissio vera in genere doctrinæ et intellectus. Hæc decreta non consideranda sunt ad instar statutorum alicujus organisationis humanae; quæ quis, etiam invitus, reluctantate voluntate, opere dumtaxat externo exequitur.

Scholion.—*De sensu horum Decretorum.* Finis horum Decretorum non est definire aliquam veritatem speculativam, sed securitati doctrinæ propicere. Doctrina secura vel tuta ea est quæ certo non contradicit fidei; non tuta, quæ tali probabilitate non gaudet; proinde qui hanc amplectitur sese exponit periculo erroris et etiam peccato temeritatis. Quia judicium de securitate veritatem immediate non tangit, fieri potest ut doctrina aliqua non tuta, re melius perspecta, possit evadere tuta; alia autem doctrina, quæ nunc, attento præsenti satatu rationum, est tuta, fieri potest non tuta, novis rationibus accedentibus. Cfr. D 2183 ss. Quæstio Galilei.

(El valor teológico de las Encíclicas a la luz de "Humani Generis", P. Salaverri, en "Miscelánea Comillas", XVII, 1952.)

THEISIS VII

Revelatio, objectum fidei catholicæ constituens, fuit cum Apostolis completa (D. 2021)

NEXUS.—Nunc jam agendum nobis est de *objecto magisterii ecclesiastici*, et primum quidem de ejus *objecto directo* (=doctrina Xti. revelata), et dein de *objecto indirecto* (=connexa cum revelatis). *Objectum directum* est in genere doctrina Christi, sed quoniam dubium esse potest utrum hæc doctrina augeri possit novis revelationibus post mortem Apostolorum, ideo ponitur thesis.

NOTIONES.—Agitur hic de *Revelatione publica*. *Revelatio christiana* est tota quanta *apostolica*, id est, *Apostolis commissa*, ergo cum his compleatur et finitur. Tempore Apostolorum elapso, tempus *revelationis publicæ clausum* est; et quoniam tota missio Xti. *Apostolis* est commissa, non po-

tuit dari revelatio publica ulla quæ ipsis non innotuerit et probata fuerit. Nulla revelatio accipitur tamquam christiana, quæ non sit apostolica. Tempus apostolicam hic sumitur usque ad mortem ultimi Apostoli. Ergo post mortem S. Johannis Revelatio publica jam non potest augeri novis veritatibus, siquidem Xpus. tradidit Apostolis totam veritatem quæ spectat ad salutis œconomiam. Inde elucet qualis progressus dogmaticus in Ecclesia sit possibilis: subjectivus tantummodo, non objectivus. Sed de hoc in scholio.

ADVERSARII.—In genere, omnes qui post mortem Apostolorum novam aliquam revelationem publicam exspectant. Ita, in antiquitate, Montanistæ, medio ævo Fraticelli, D 489. Semirationalistæ, ut Günther et Frohschammer, qui depositum revelationis clausum esse negant; sed potius illud dicunt esse velut philosophicum aliquid inventum, quod humanis modis perfici queat. Accedunt Modernistæ.

CENSURA.—Implicitè definita in Concilio Tridentino et Vaticano. D 783, 1800, 1818, 1836, 2021.

PROBATIO.—1. *Ex verbis Xpi.* Quoniam Xpus. totam suam missionem Apostolis tradidit et Magisterium est pars aliqua hujus missionis, patet quod tota doctrina christiana beatæ esse essentialiter apostolica. Ex universalitate Regni Dei et perennitate Ecclesiæ infertur œconomiam præsentem esse definitivam et absolutam. Ecclesia vero fundata est super fundamenta Apostolorum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu (Eph. 2, 20). Ergo...

Mt 28, 18. Pater dedit Xto. missionem et potestatem. Cum hac potestate Xpus. condidit Ecclesiam et dat mandatum Apostolis. Nulla alia doctrina nec revelatio dari potest qua homines salvi fiant. Missio Apostolorum transmittitur successoribus, sed doctrina manet semper eadem, apostolica.

Lc 24, 46-49; *Act* 1, 8. Munus Apostolorum est esse testes Christi. Non exspectanda est nova doctrina vel revelatio. Adjutorium Spiritus Sancti non promittitur ut novam revelationem patefaciant, sed ut munus hoc Christi testium bene adimplere possint.

Io 15, 15. Xpus. communicavit totam suam doctrinam Apostolis. Spiritus Sanctus promittitur, 14, 26; 14, 16 ad hoc ut possint custodire doctrinam datum a Christo; Cfr. etiam 16, 7.12-15. Spiritus Sanctus docebit doctrinam Christi, introducit Apostolos in sensum intimum hujus doctrinæ. (Certe tempore Apostolorum adhuc Spiritus Sanctus poterat aliquid novi revelare ipsis Apostolis, nam tempus revelationis publicæ nondum erat clausum; post mortem vero Apostolorum munus Spiritus Sancti reducitur ad assistentiam et adjutorium, quia tota doctrina objectiva Apostolis commissa est; hæc est interpretatio quæ deducitur ex Traditione.)

2. *Ex testimonio Ecclesiæ antiquæ.* Persuasio omnia in Ecclesia debere esse essentialiter apostolica est unanimis in Ecclesia post apostolica. R 74, 94, 126, 128, 192, 213, 242, 298. "Servasti quæ accepisti, nec addens, nec demens" (Epist. Barnabæ, 19, 11). Similiter Patres R 443, 785, 1043, 1107, 1181. Hæc persuasio appareat etiam ex eo quod Ecclesia jam ab initio curavit de colligenda doctrina fidei in symbolis seu formulis doctrinalibus quæ compendio quodam exhibent veritates principales religionis christianæ. Initium quoddam harum formularum doctrinalium appareat jam in epistolis S. Pauli: 1 Tim 3, 16; 1 Cor 15, 1 ss.; "typus doctrinæ" Rom 6, 17; depositum custodiendum, 1 Tim 6, 20.

Scholion.—De progressu dogmatico. Priusquam de progressu dogmatico loquamur, notio dogmatis præcisa danda est. Dogma vero est doctrina aliqua revelata et a Magisterio Ecclesiæ ut credatur tamquam revelata proposita. D 1792. Ergo duo elementa consideranda veniunt in dogmate: Revelatio, Propositio Ecclesiæ. Revelatio jam clausa et finita est, ergo nequit augeri. Quoad propositionem vero Ecclesiæ progressus certe est possibilis et datur. Multæ circumstantiæ historicæ influunt ad hoc ut aliqua veritas revelata melius et clarius cognoscatur seu detur progressus in intelligenda veritate, progressus nimirum subjectivus, et terminus ipsius progressus solet esse propositio illius veritatis ab Ecclesia tamquam revelatæ. Pro rationalistis in Theologia Catholica data est vera evolutio objectiva dogmatum, quod minime est verum; et ipsi suo modo fatentur contrarium cum asserunt jam in fine s. I Ecclesiam Catholicam in suis lineamentis essentialibus jam solide constructam apparere, ejus dogmata ex primæva ecclesia hierosolymitana ortum duxisse, etc. Cfr. pulchra verba Lerinensis de Immutabilitate et Progressu fidei in Ecclesia, R 2168, ss. Verba S. Augustini cum loquitur de quæstione baptismi hæreticorum R 1623. Impossibilitas progressus *objectivi* in Ecclesia patet ex eo quod revelatio finita sit cum Apostolis; ope infallibilitatis charismatis totum depositum manet semper in conscientia et prædicatione Ecclesiæ, ideo damnata fuit propositio Synodi Pistoriensis, D 1501.

Progressus vero *subjectivus* multiplici sub aspectu concipitur. En præcipui modi: 1.^o declarare aliquam veritatem esse *revelatam*; 2.^o declarare *sensum* alicujus propositionis quæ jam antea admittebatur tamquam *revelata*; 3.^o veritatem aliquam *revelatam formulis authenticis* exprimere. De facto talis progressus *subjectivus* abunde constat ex Historia Ecclesiæ et Magisterii ut appareat cuilibet Enchiridion Symbolorum insipienti. Talis vero progressus potestne vocari *evolutio*? Si *evolutio* sumatur sensu primigenio explicationis (= illa quæ antea formaliter aderant nunc jam ut talia cognoscuntur), tunc utique; sed verbum sumitur sæpe sensu biologico (= formatio alicujus organismi ex germine, quod singula organa continet potentia et virtute, neque vero ut talia jam præformata): hoc sensu non datur *evolutio*, nam progressus dogmaticus supponit omnes veritates *revelatas* in deposito fidei jam formaliter existere.

Causa principalis progressus dogmatici est, sine dubio, Magisterium Ecclesiæ authenticum et infallibile, quod depositum revelationis custodit, exponit et prout adjuncta exigunt defendit, explicat, etc. Causa vero subsidiaria ejusdem progressus est scientia Theologorum. Occasiones ansam præbentes hominesque excitantes ad progressum dogmaticum præcipue sunt:

Errores et hæreses, praxis liturgica fidelium, praxis et experientia vitæ Ecclesiæ. Denique revelationes privatæ ad melius cognoscendam et investigandam revelationem christianam conferre possunt. Ipsæ vero revelationes privatæ minime pertinent ad depositum fidei; qui talem revelationem accepit, ex quo motiva credibilitatis habet sufficientia et certa, debet illam credere fide divina; pariter ille qui hanc revelationem cognovit ex teste fido, eam fide divina amplecti potest. Sed nunquam possumus dare his rebus assensum fidei catholicæ, qua nimirum illa credimus quæ a Deo revelata et ab Ecclesiæ Magisterio credenda proposita sunt.

In progressu dogmatico triplex velut gradus sæpius observatur: 1.^o Possessionis quietæ (adhuc non sunt controversiæ, veritas ut talis formaliter

explicite non appareat enuntiata), 2.^o discussionis et controversiæ (dubia exoriuntur, disquisitiones sunt diligentiores, adsunt propugnatores et impugnatores, donec rationibus perpensis sententia alterutra appareat probabilius, certa, definibilis). 3.^o Definitonis et possessionis absolute securæ (terminus progressus dogmatici obtentus est). Exempli causa: Immaculata Concepio, D 256, 734, 792, 1073, 1100, 1641.

THESES VIII

Objectum in directum Magisterii Ecclesiastici constituunt veritates cum deposito fidei connexæ, i. e. quæ sunt necessariæ ad depositum fidei custodiendum et exponendum

NEXUS.—Doctrina Xti. revelata seu veritates ad depositum fidei pertinentes constituunt objectum directum magisterii infallibilis (veritates formaliter revelatae, sive explicite sive implicite). Nunc quæritur quodnam sit objectum indirectum ejusdem magisterii. Revera, mens humana inquirens in depositum fidei detegit multiplices relationes inter veritates revelatas et non revelatas, vel videt quasdam propositiones contradicere quibusdam veritatibus revelatis et ab Ecclesia propositis. Quæ est auctoritas magisterii circa has propositiones? Potest declarare illas contrarias esse deposito fidei, proindeque erroneas, necne? Et hujusmodi decisiones quem gradum certitudinis attingunt?

NOTIONES.—Hujusmodi veritates, de quibus Ecclesia authentice judicat, ad tres species reducuntur: 1.^o Veritates philosophicæ quarum negatio secum fert rejicere directe vel indirecte ipsas veritates revelatas. Sub hac specie includuntur *conclusiones theologicæ*. 2.^o Veritates historicæ. Christianismus est religio historica, profitetur multa facta historica in symbolis contenta et authentice decidit veritatem historicam *factorum dogmaticorum*, id est, illorum quæ ita vocantur per eorum connexionem cum dogmate christiano, e. gr.: legitimitas alicujus concilii, sensus cuiusdam textus humani, etc. 3.^o Decreta liturgica, moralia... quibus subest judicium doctrinale.

Igitur, thesis dividitur in tres sectiones, his tribus speciebus correspondentes. Ratio argumentandi eadem est in tribus. Probatio desumitur: 1) *a priori*, ex natura et scopo Magisterii, ex eo quod Magisterium non posset finem suum obtainere si non posset authentice judicare de veritatibus connexis: ergo Christus debuit ei dare hanc potestatem. 2) *A posteriori*, seu ex praxi Ecclesiæ: Ecclesia de facto summa sua et absoluta auctoritate judicat de his veritatibus; jamvero Magisterium debet scire infallibiliter quoisque sese extendat ambitus infallibilitatis, ergo ex praxi Ecclesiæ detegitur ejus potestas.

CENSURA.—Saltem theologice certa et definitioni proxima, ex Vat. D 1798, 1817. Cfr. apud Salaverri, p. 699, quibus verbis Relator fidei explicavit formulam D 1839, et schemata quæ præparabuntur et in quibus doctrina theses definiebatur explicite.

I PARS. *De auctoritate Ecclesiæ circa veritates philosophicas (conclusiones theologicas).*

NOTIO.—IIIæ conclusiones quæ deducuntur ex una veritate revelata ope veritatis alicujus naturalis, vocantur conclusiones theologicæ. Proprie non pertinent ad depositum fidei. Nomen conclusionum eis convenit sensu syllogistico, sed syllogismus debet esse strictus et non mere explicativus. In praxi valde difficile est discernere deductiones mere analyticas a discursivis. Tamquam conclusio theologica solet adduci hæc: *Filius Dei est Verbum Patris.* A. Verbum procedit ex intellectu. E.

Nos igitur ponimus hic quæstionem in genere, scil. quam auctoritatem habeat Ecclesia circa veritates philosophicas. Et ponimus doctrinam: Ecclesia potest authentice et infallibiliter judicare de veritate propositionum quæ spectant ad philosophiam. Igitur potest declarare aliquas veritates philosophicas ut veras et absolute a fidelibus tenendas. Hujusmodi veritas sic definita non eo ipso transit in fidei depositum. Præterea quæstio est inter theologos circa naturam assensus præstandi hujusmodi definitionibus, utrum veritates philosophicæ ab Ecclesia definitæ fide divina credi debeant vel sit actus fidei ecclesiasticæ, etc. Sed de his in scholio.

ADVERSARII.—Rationalistæ profitentur omnimodam independentiam philosophiæ. Modernistæ docent absolutam separationem inter scientiam et fidem. D 2084. 1674-5. 1710-14. 1656. 442.

PROBATIO.—1.^o) *Ex natura et sine Magisterii.* Si Ecclesia non posset authentice et infallibiliter de veritatibus philosophicis judicare, suum munus depositum revelatum custodiendi adimplere non valeret. Nam evidens est hanc missionem supponere jus damnandi errores revelationi oppositos. Præterea ad prædicandum et exponendum Evangelium debet uti conceptibus philosophicis, scientiam theologicam colere, etc.

2.^o) *Ex praxi Ecclesiæ.* De facto Ecclesia sibi vindicat hanc potestatem, ergo habet. D 553 ss., 719 ss., 738, 1659 ss., 1666, 1684, 1781, 1891 ss., 1927, 2105.

Ecclesia in exercitio suæ potestatis doctrinalis non solet distinguere inter veritates revelatas et non revelatas, sed intervenit ad docendum vel condemnandum prout cura animarum videtur postulare. Et hæc potestas indirecta Ecclesiæ unanimiter docetur ab omnibus theologis. Formula consueta quam Ecclesia solet adhibere ad objectum infallibilitatis generice enuntiandum est illa: “*doctrina de fide vel moribus...*” D 786, 1839; et in illa continetur tam objectum directum quam indirectum.

Sunt qui dicant dogmata, utpote intime ligata cum certis scholis philosophicis (imprimis cum aristotelico-scholastica), participare ejusdem scholæ naturam contingentem et variabilem atque ideo carere valore absoluto. Sed hoc absolute negandum est. Dogma revelatum non est ligatum systematis dubiis. Sed existit quidam complexus veritatum philosophicarum, quem dogmata christiana præsupponunt, et quem, proinde, omnis philosophia catholica admittere debet. Hic complexus recte vocatur *philosophia perennis*. Elementum variabile et contingens plane deest in definitionibus Ecclesiæ. D 1800. Cfr. etiam “*Humani Generis*” apud Salaverri, III, 14-17, IV, 29-34.

PARS II. *De factis dogmaticis.*

NOTIO.—Sunt facta historica quæ pertinent ad ipsum depositum fidei; de his non est quæstio. Sunt alia quæ, quamvis non sint revelata, neces-

saria sunt ad custodiam talis depositi, e. gr.: legitimitas alicujus Concilii, etc. Si Ecclesia judicare non posset de his factis, impossibile redderetur exercitium suæ auctoritatis doctrinalis. Et de facto Ecclesia sibi vindicat talem potestatem: D 164, 173, 659, 674, 1826, 1832.

Sed factum dogmaticum in sensu technico vocatur sensus genuinus alicujus libri vel textus humani. Quæstio agitata est in controversia jansenistica et hodie quoque est gravissima. Cum Papa damnasset 5 propositiones Jansenii, D 1092, jansenistæ dixerunt illas propositiones juste esse damnatas, sed Jansenius minime docuisse illas. Tunc Papa declaravit sententias illas damnatas fuisse eodem sensu quo leguntur in opere Jansenii. Ad hoc jansenistæ responderunt negantes Ecclesiæ competere tale jus: juxta eos Ecclesia potest quidem solvere quæstionem juris (num aliqua doctrina sit revelationi conformis), minime vero quæstionem facti (num aliqua sententia certis verbis doceatur et contineatur). Cfr. D 1098, 1099, 1350.

Ex tota hac controversia clarissime appareat Ecclesiæ sibi vindicare non tantum jus judicandi de doctrina, sed etiam de facto: id est, utrum aliqua doctrina enuntiata sit in certis et determinatis verbis: Tam quæstio juris quam facti. Auctor ut talis damnatur erroris. Id est, auctor judicatur ex ejus verbis, quorum sensus analyzatur juxta normas et regulas consuetas; de intentione pure subjectiva auctoris Ecclesia non judicat. Si Ecclesia non haberet hanc potestatem, numquam posset damnare errorem ullum in ordine reali; et ut ait S. Thomas: "Per verba quæ quis loquitur suam fidem profitetur, et ideo si sit inordinata locutio circa ea quæ sunt fidei, sequi potest ex hoc corruptio fidei". 2, 2 q. 11 a 2 ad 2.

ADVERSARII.—Jansenistæ.

PROBATIO.—1) *Ex natura et fine Magisterii.*

Finis Magisterii exigit ea quæ necessaria sunt ad secure dirigendos fideles in recta fidei professione et in contrariis erroribus vitandis. A. ad hoc necessaria est infallibilitas in definiendo sensu orthodoxo vel heterodoxo auctoris qua auctoris alicujus textus dogmatici. Revera, si Ecclesia hanc potestatem non haberet, nemo peremptorie cogi posset ad certam fidei formulam profitendam, nemo efficaciter cohiberi posset ab erroribus in fide admittendis et diffundendis, nulla denique præsto esset Ecclesiæ tuta via ad conservandam veram fidem.

2.) *Ex praxi Ecclesiæ.*

Hoc abunde constat ex controversia jansenistica. Cfr. pariter D 125, 226, 387, 1350, 1667.

PARS III. *De Decretis quibus subest judicium doctrinale.*

NOTIO.—Decreta, ut talia, respiciunt potestatem regendi. Sed sunt de creta quæ implicitè supponunt judicium doctrinale. Si Ecclesia statuit jejunium, e. gr., implicitè asserit hujusmodi præxim revelationi esse conformem et salvationi utilem. Estne infallibilis Ecclesia in hujusmodi assertiōnibus? Et dicimus: Est infallibilis si hæc Decreta sunt universalia et procedunt a summa potestate Ecclesiæ.

Hujusmodi de creta possunt esse *disciplinaria* vel *liturgica*. Decreta disciplinaria ad hoc ut sint infallibilia debent procedere ex Papa vel concilio Ecumenico. Et ut patet, de cretum disciplinare ut tale non cadit sub infallibilitate, ergo non definitur opportunitas decreti nec ejus validitas perpetua; immo, progrediente tempore potest abrogari, etc. Infallibilitas tan tum respicit judicium doctrinale quod his decretis subest. Ad hujusmodi de creta pertinet imprimis approbatio definitiva et sollemnitas Ordinum Re-

ligiosorum. In talibus approbationibus Ecclesia commendat determinatum statum vitae tamquam sanctum et tutum ad perfectionem assequendam; et in hoc iudicio est infallibilis. Sed ex hoc non sequitur quod Ordo sic approbatus non possit a suo fine recedere vel etiam evadere nocivus Ecclesiae, et ideo supprimi possit.

Decreta liturgica respiciunt cultum seu ritus. Praeter ritus ab ipso Christo statutos, existunt alii ab Ecclesia introducti. Modus loquendi Ecclesiae circa suos ritus praebet persuasionem eam esse infallibilem in eorum institutione, quod iterum appareat ex intima connexione ritus inter et dogmata. Inter hujusmodi decreta citare oportet decretum definitivum canonizationis Sanctorum.

ADVERSARII.—Pistorienses contra Ordines religiosos. D 1580.

PROBATI. — 1.^o) *Ex natura et fine Magisterii.*

Ex eo quod ad fidelium vitam sine errore dirigendam necessaria est infallibilitas circa haec decreta quae cum revelatis finaliter connexa sunt.

2.^o) *Ex praxi Ecclesiae.*

Circa decreta disciplinaria D 990, 1981 ss., 1580, 1692; CJC 1012 ss., 859, 487. Circa decreta liturgica CJC 1999; D 943, 942, 931. Sed bene notandum est infallibile esse solummodo judicium illud doctrinale quod his decretis subest: illos ritus esse aptos ad sanctitatem et pietatem fovendam, talem modum vivendi esse sanctum et tutum ad assequendam perfecti-
nem, etc.

Scholion.—Ex his quae dicta sunt appareret Magisterium habere duplex objectum, nimurum, 1) *revelatum in se* et 2) *connexum cum revelatis*. Jam vero quoad *revelatum in se*, agitur quæstio inter theologos: *ad hoc ut aliqua veritas consideretur revelata requiriturne ut sit formaliter inclusa in deposito revelationis, vel sufficit revelatio virtualis?* Multi theologi docent unice formaliter *revelata* (sive explicite sive implicite) considerari posse tamquam *revelata a Deo* et proinde haec tantum constituere depositum *Revelationis*. Sed alii, ut Marín-Solá, defendunt etiam *virtuale revelatum* (*conclusiones theologicas*), *postquam accedit definitio Ecclesiae*, considerari debere tamquam partem depositi *revelati*. Unaquæque opinio affert pro se exempla ex definitionibus Ecclesiae: ita Marín-Solá, contendit, e. gr., *Immaculatam Conceptionem B. M. V.* tantum *virtualiter contineri in Revelatione* et tamen Ecclesia hanc veritatem definitivam ut *revelatam* (et simili modo adduci posset in exemplum *definitio Assumptionis B. M. V.* 1 Nov. 1950); sed asseclæ alterius opinionis contendunt has veritates contineri in fontibus *Revelationis* formaliter implicite et non *virtualiter*... Videtur quod unusquisque interpretatur facta juxta exigentiam propriæ theoriæ.

Alia quæstio est *utrum definitiones Ecclesiae circa objectum Magisterii indirectum (connexa cum revelatis) debeant et possint credi fide divina*. Multi theologi negant: et ratio est quia hujusmodi veritates non pertinent ad depositum *revelatum*; ergo si Deus non *revelavit* talem veritatem non possumus ei assentire propter auctoritatem Dei *revelantis*; et consequenter, praeter fidem divinam, ponunt aliud genus, quod vocant fidem ecclesiasticam, qua assentimur hujusmodi veritatibus. Etiam *Vaticanum* (quamvis noluit decidere de his quæstionibus controversis) distinguit inter veritates *credendas* (quae constituant objectum directum *Magisterii*) et alias sim-

pliciter tenendas (indirectum). Responsum quod magis placet huic quæsitioni videtur sequens: omnes veritates creduntur fide divina: statim ac Ecclesia definit aliquam veritatem non revelatam, sed tantum connexam (obj. indirectum), fidelis præbet assensum propter auctoritatem Dei revelantis, quod recte et legitime potest facere, quia Deus revelavit quod omne quod ab Ecclesia definitur (sive objectum directum sive indirectum) est verum; et sub hoc universaliter continentur omnes veritates definitæ. Ergo cum tali veritati præstatur assensus hoc sit propter auctoritatem Dei revelantis qui illud universale revelavit, ergo fide divina, et nulla necessitas fidei ecclesiasticae apparet. Parum interest quod veritas definita non sit revelata in se, nam aliud est ratio cur Ecclesia definit veritatem aliquam (quia continetur in revelatione vel quia est connexa cum revelatis) et aliud ratio cur fidelis præstet assensum huic veritati (propter auctoritatem Dei qui revelavit vera esse quæcumque Ecclesia definierit).

THEISIS IX

Primarius fons Revelationis est divina Apostolorum traditio, quæ antiquitate, plenitudine et sufficientia ipsam Sacram Scripturam antecellit

NEXUS.—Postquam probavimus institutionem, subjectum et objectum Magisterii, nunc inquirere debemus fontes ipsius Magisterii. Magisterium debet proponere hominibus doctrinam Christi revelatam. Jamvero ubinam hæc divina revelatio continetur seu quinam sunt fontes ex quibus hauriri potest? Sane doctrina Christi revelata integre continetur et invenitur in conscientia Ecclesiæ docentis et in sua perenni prædicatione; sed etiam existit aliis fons scriptus, nempe Scriptura Sacra. Igitur hic agendum esset de utroque revelationis fonte, de *Scriptura et Traditione*; sed quoniam de Scriptura in proprio tractatu sit sermo, tantummodo de Traditione loquimur. Multi auctores ponunt tractatum specialem et independentem ad hanc materiam enucleandam, nempe Tractatum *De Fontibus Revelationis*.

NOTIONES.—*Fons Revelationis*, ad fontis aquæ similitudinem, dicitur in genere locus in quo continetur et ex quo hauriri potest divina revelatio.

Traditio (paradosis) vi vocis significat cuiusvis rei transmissionem. In N. T. significat doctrinæ Christi et Apostolorum transmissionem seu continuatam divinæ revelationis transmissionem in Ecclesia inde ab Apostolis (Lc 1, 2; 2 Thess 2, 15; 3, 6; 1 Cor 15, 1 ss.). Divina Traditio stricte dicta, prout a Sacra Scriptura contradistinxit, definiri potest: Continuata divinæ revelationis inde ab Apostolis transmissio orali prædicatione et fide Ecclesiæ, seu medio a S. Scriptura distincto. Cfr. 1 Cor 15, 1, ss. Hæc traditio appellatur divina quia primum auctorem habet ipsum Deum et distinguitur a mere apostolica, necnon a traditione ecclesiastica.

Fontem Revelationis esse divinam Traditionem significat ea transmitti in Ecclesia inde ab Apostolis veritates Deo attestante revelatas, ideoque in ea contineri verbum Dei traditum.

Fons primarius dicitur divina Traditio, quia primo ac per se a Xto. est ordinatus vel intentus ut divina sua revelatio continuo in Ecclesia transmittatur.

Scriptura et Traditio, qua revelationis fontes, proprie definiri et ab Ecclesiæ Magisterio accurate discerni debent:

a) *Sacra Scriptura*, seu verbum Dei scriptum, est complexus veritatum Deo inspirante revelatarum, quæ in sacris Veteris et Novi Testamenti libris continentur.

b) *Divina Traditio*, seu verbum Dei traditum, est complexus veritatum Deo attestante revelatarum, quæ in continua Ecclesiæ prædicatione et fide perenniter transmittuntur.

c) *Magisterium vero authenticum* est doctrinalis Ecclesiæ auctoritas, quæ Deo assistente custodit et declarat verbum Dei seu revelationem in utroque fonte contentam (D 1800, 1836). Magisterium ergo sensu stricto dici nequit verbum Dei neque revelationis fons, sed custos et declarator verbi Dei fontiumque ejus.

Regulæ fidei conceptus affinis est iis quæ præcedunt. *Regula fidei* vocatur principium juxta quod determinatur quænam sint veritates divinitus revelatae, quas omnes fideles credere ac profiteri teneantur. Scriptura et Traditio appellari consueverunt a Theologis *Regula fidei remota*, Ecclesiæ vero Magisterium, *Regula fidei proxima*. Id est, fideles immediate ex Magisterio discere tenentur quid credere debeant de iis quæ in fontibus revelationis continentur.

Cfr. *Regulam fidei catholicam* D 1792 cum protestantica: "Sacras Litteras solas unicam et certissimam fidei Regulam esse credimus, ad quam omnia dogmata exigere... oporteat" (*Declaratio confessionis Augustanæ*).

ADVERSARI1.—1) In antiquitate Gnostici, contra quos S. Irenæus et Tertullianus classicam de Traditione doctrinam invicte affirmaverunt. Similiter Donatistæ renuentes admittere valorem baptismi ab hæreticis collati, contra quos S. Augustinus ad auctoritatem Traditionis provocat R 1623, 1631; ipse Sanctus contra Pelagium asserentem "quod non legimus in Scriptura nefas credamus", fontem fidei Traditionem esse affirmat.

2) Adversarii classici et præcipui, tamen, sunt Protestantes, qui tamquam unicam regulam fidei habent Sacram Scripturam, uniuscujusque iudicio privato intellectam et interpretatam; ergo neque Traditionem neque Magisterium admittunt. Jam ante eos Wicleff hunc errorem expresserat: "Veritas quæ in Scriptura non est, nusquam est".

CENSURA.—Traditionem et Scripturam esse duos veros divinæ revelationis fontes pari auctoritate præditos est *de fide divina definita* in Trid. et Vat. D 783, 786, 913, 1787, 1788, 2145 4.^o, 2146 ss. Traditionem esse fontem primarium revelationis, qui Scripturam antecellit est saltem *theologice certa* seu ex definitionibus eorumdem Conciliorum deducta.

PROBATIO.—I *Quod præter Scripturam exsistit Traditio tamquam fons primarius Revelationis.*

Fons primarius Revelationis debet esse illud medium a Xto. ordinatum et intentum ut divina Revelatio in Ecclesia perenniter conservaretur et transmitteretur. Jamvero Xtus. nullum aliud medium adhibuit nec adhibendum præscripsit quam continuatam revelationis transmissionem orali prædicatione et fide Ecclesiæ Mt 28, 19. Christus nihil scripsit et ex Apostolis qui aliquid scripserunt, nullus integrum revelationem scripto tradere intendit, sed tantum scripta singulari occasione et particulari scopo nobis reliquerunt. Priusquam hi libri N. Test. conscriberentur, pro ecclesiis christianis existebat absque dubio alias fons revelationis et etiam postea, teste Eccle-

sia post apostolica, hic alias fons ut præcipuus habebatur. R 94, 44, 128. Irenæus R 208, 226. Tertullianus R 291, 298. Cfr. etiam R 192, 954, 2168.

II Quod Traditio Scripturam antecellit.

Liber ex natura sua est documentum mortuum quod sui ipsius rationem reddere non valet, omnibus interpretationibus et dubiis obnoxium. Jamvero cum Deus voluit suam divinam revelationem ab omnibus omnium temporum hominibus cognosci et custodiri, debuit media efficacia ad hunc finem obtinendum providere, et libri inspirati soli non sunt medium efficax ad hoc. Neque indoles inspirata eorum erui potest ex ipsis. Neque sensus librorum constat multoties. Omnes rationes quibus ostenditur necessitas moralis revelationis integre adduci possent hic et evincunt Deum non potuisse relinquere suam revelationem in aliquo libro ita ut studium privatum difficile et superans possibilitates longe majoris partis hominum fuisse unicum medium eam inveniendi.

Dicimus Traditionem antecellere antiquitate, quia prior exstitit quam Scriptura N. T. *Plenitudine*, quia integrum fidei depositum continet, quod non potest dici de Scriptura. *Sufficientia*, quia Scriptura indiget Traditione ad suam divinam auctoritatem stabiendum et ad authenticum suum sensum aperiendum; Traditio vero nullo alio fonte ut tali indiget.

Scholion.—De momento Traditionis in Theologia. Multum interest pendere bene munus quod Traditio obtinet in Theologia. Sane, Ecclesia bene posset existere absque Scriptura, minime vero absque Traditione. Quamvis non haberemus sacras litteras, Theologia esset eadem ac est, cum iisdem dogmatibus et doctrinis. Et ratio est quia dogmata hæc oriuntur directe non ex Scriptura sed ex Traditione. Ex eo quod non bene perspicitur Traditionem esse fontem et basim Theologiæ procedunt persæpe quædam dubia et obscuritates. E. gr. aliqui mirantur dogmata quædam habere pro se argumenta scripturistica valde debilia vel incerta, ut si firmitas illius dogmatis penderet e vi probativa alicujus textus scripturistici. Ille textus nullo modo est fons, initium aut origo talis dogmatis. Ecclesia, independenter ab iis textibus, propositetur illud dogma quod acceptum habet a Traditione; ergo dogma existit in prædicatione et fide Ecclesiæ independenter a Scriptura (cfr. in Bulla "Munificentissimus" textus scripturisticos Patrum ad probandam Assumptionem B. M. V.). Ergo recursus fit ad Scripturam ad probandum vel roborandum dogma quod aliunde —nempe ex Traditione— existit in Ecclesia. Et persæpe accidit quod in Scriptura non inveniatur argumentum peremptorium sed ex vi argumenti nullo modo pendet veritas illius dogmatis. Si hæc ita se habent, cur tam constans recursus ad Scripturam in Theologia? Quia probatio ex Scriptura, cum ad sunt textus de illo dogmate de quo est sermo, est multo facilior et brevior quam probatio ex Traditione; allatio alicujus textus inspirati qui continet dogma illud est, ut patet, argumentum peremptorium. Quomodo fiat argumentum ex Traditione, in Scholio sequenti.

Igitur Traditio majoris momenti est in Theologia quam Scriptura. Et patet absurditas doctrinæ protestanticæ quæ "canonizavit" libros scriptos absque ulla consideratione ad Traditionem. Ipsam ideam illos libros esse inspiratos, undenam acceperunt Protestantes nisi ex Traditione? Præterea cum hac positione impossibilis redditur intelligentia et recta exegesis librorum ipsorum quia non debemus prætermittere hos libros ortos esse ex fide et vita Ecclesiæ, seu aliis verbis, illos non esse nisi consignationes partiales et fragmentariæ prædicationis seu Traditionis Ecclesiæ, et ideo non

possunt bene intelligi abstractione facta fidei et praxis ipsius Ecclesiae. Ideo Luther et protestantes erraverunt in multis in expositione Scripturæ. Duo exempla adduci possunt: indissolubilitas matrimonii (Mt 5, 32), perpetua virginitas B. M. V. (Mt 1, 18; 12, 46; Lc 2, 7). Sunt multa quæ in Scripturis non inveniuntur: Septem Sacra menta... Locus adeo eminens quem B. M. V. occupat in fide et pietate Ecclesiae fortasse in Scriptura sola non habet fulcimentum solidum, sed hoc minime infirmat hanc doctrinam. Uno verbo: prædicatio, fides, vita et praxis Ecclesiae (: Traditio) est pro theologo catholico norma tuta rectæ interpretationis multorum textuum S. Scripturæ.

Scholion. — *Argumentum Traditionis.* Argumentum Traditionis stricte dictum sit *directe* seu *via descendente* ostendendo ex monumentis Traditionis aliquam doctrinam in Ecclesia agnitam fuisse inde ab Apostolis usque ad nos. Hoc argumentum confidere sæpe difficile et nimis longum est, immo aliquoties impossibile evadit, quia desunt documenta quæ usque ad Apostolos ascendant. In tali casu probatio fit *indirecte* seu *via ascendente* argumento præscriptionis. Duplex hujusmodi argumentum distinguitur, aliud nempe *præscriptionis historicæ* seu *apologeticæ*, aliud vero *præscriptionis theologicæ* seu *dogmaticæ*. Primum ad hoc reducitur: Hanc doctrinam diuturna possessione ut ab Apostolis acceptam universa habuit Ecclesia. At talis persuasio universalis non explicatur si revera illa doctrina non procedit ab Apostolis... (cfr. in Th. Dogmatica numerum septenarium Sacramentorum).—Præscriptio vero dogmatica ad hoc schema reduci potest: Hanc doctrinam diuturna possessione ut ab Apostolis acceptam universa Ecclesia habuit. A- universa Ecclesia vi infallibilitatis suæ nequit diuturna possessione ut apostolicam habere doctrinam quæ revera non sit ab Apostolis tradita. Ergo hæc doctrina revera est ab Apostolis tradita. Forma negativa ejusdem argumenti: Hæc doctrina est posterius adinventa et contradicit illi quam prius diuturna possessione tamquam ab Apostolis acceptam universa Ecclesia tenuit. Ergo talis doctrina nequit esse ab Apostolis tradita.

Scholion. — *Distinctio Magisterii a revelationis Fontibus.* Probe distinguendi sunt revelationis Fontes ab Ecclesiæ Magisterio. Tamquam revelationis Fontes Traditio et Scriptura auctoritate prorsus æquiparandæ sunt, prout eas Conc. Trid. et Vat. æquiparaverunt D 783, 1787. Conc. Trid. et Vat. aperte distinguunt tam Scripturam quam Traditionem a Magisterio ecclesiastico, cum doceant Magisterium Ecclesiæ, ad quodlibet definiendum, et Scripturam et Traditionem præsupponere ut fontes, ex quibus hauriat ea quæ definire vult. “Ad dogmaticam definitionem —sunt verba Deputationis fidei in Vat. Msi. 52, 25— necessarium ac sufficiens est, ut Patribus Concili ex propriis divinæ revelationis fontes, scil. ex Scriptura et Traditione, constet esse aliquam veritatem divinitus revelatam; proindeque Patrum officium esse ut munus hanc divini depositi veritatem pro suo charactere cum auctoritate declarare et proponere.” Juxta Vat. Scriptura et Traditio sunt simpliciter verbum Dei scriptum et traditum, Magisterium vero est mere custos et declarator verbi Dei scripti vel traditi D 1781, 1792 s., 1800, 1836. Scriptura et Traditio et quidem in se ipsis sunt regula fidei quoad nos remota; Magisterium vero est, non tamen se ipso sed ratione verbi Dei quod declarat, Regula fidei quoad nos proxima.



THESES X

Sanctorum Patrum consensus in rebus fidei et morum divinæ Traditionis est criterium certum

NEXUS.—Prædicatio et fides Ecclesiæ transcurso temporis aliquos effectus protulit, que recte Traditionis monumenta appellantur, ex quibus jure deducere possumus quid prædicaverit et crediderit Ecclesia inde ab Apostolis usque ad nos. Inter hæc Traditionis monumenta eminent scripta SS. Patrum. Unde quærimus: Quid hæc scripta conferant ad divinam Traditionem cognoscendam.

NOTIONES.—Criterium Traditionis est norma qua vera Traditio detegi et a falsis dignosci potest. Criterium primarium et per se statutum ad hoc ut directe nos ducat ad revelationem traditam est Magisterium infallibile. Cetera sunt secundaria; et inter hæc eminent scripta SS. Patrum. Hæc criteria secundaria absolute necessaria non sunt, at valde utilia ad hoc ut Magisterium facilius ac plenius fidei depositum declaret, nam divina assistentia minime excludit humanam diligentiam in usu mediorum conducentium ad veritatis traditæ agnitionem. Necessaria quodammodo dici possunt ad hoc ut Theologi scientifice ac positive demonstrent fidei depositum iugiter conservatum esse in Ecclesia ac fideliter transmissum inde ab Apostolis usque ad nos.

Patres Ecclesiæ sunt scriptores ecclesiastici, ut orthodoxi ab Ecclesia agniti, qui insignes sunt doctrina, sanctitate et antiquitate. Agnitus orthodoxi ab Ecclesia potest esse explicita, ut constat de aliquibus D 128, 164, 165, vel implicita, quæ sit sive usu Magisterii authentici sive communi praxi in Ecclesia. Aliqui errores eminentiæ doctrinæ non obstant. Sanctitas vitæ insuper requiritur propter internam connexionem inter doctrinam et sanctitatem christianam, inter munus sanctificatorium Ecclesiæ principale et ei subordinatum munus doctrinale; penetrare profunda doctrinæ christianæ non valebit nisi qui fuerit exemplar vitæ sanctæ; hinc illa in historia Ecclesiæ miranda harmonia inter sanctitatem vitæ et profunditatem doctrinæ. Quoad antiquitatem, ætas Patrum medio sæc. VIII finita censi potest; pro Oriente cum S. Johanne Damasceno (a. 750), pro Occidente cum S. Beda (735).

Sanctorum Patrum conceptus differt a notione:

- 1) *Scriptorum christianorum*: viri ad aliquam ex christianis confessionibus pertinentes atque eruditione de rebus ad Christianismum pertinentibus insignes: tales appellari possunt e. gr.: Marcion, Harnack...
- 2) *Scriptorum ecclesiasticorum*: Ecclesiæ viri eruditione de rebus christianis insignes. Intra ætatem patristicam habentur: Tertullianus, Origenes, Eusebius, Lactantius et alii.
- 3) *Doctorum Ecclesiæ*: scriptores ecclesiastici, ab Ecclesia agniti ut insignes tam sanctitate vitæ quam orthodoxya doctrinæ atque a Summo Pontifice titulo Doctorum expresse insigniti. Ergo requiritur tituli Doctoris collatio,

Consensus Patrum requiritur: a) omnium, non physice sed tantum moraliter, b) in rebus fidei et morum seu in rebus ad revelationis depositum pertinentibus, c) tamquam doctores authenticici vel tamquam testes fidei. Doctores authenticici soli Episcopi possunt esse cum doctrinam aliquam suis gregibus tamquam necessario tenendam auctoritate docent. Ut testes fidei consentire possunt cum attestantur doctrinam aliquam ab Ecclesia credi tamquam revelatam. Ergo cum sententias mere personales exponunt vel res de quibus agunt ad revelationis depositum non pertinent, versantur extra ambitum hujus inquisitionis.

ADVERSARII.—Per defectum, Protestantes pro quibus unicum veritatis revelatae criterium est Sacra Scriptura. Per excessum Jansenistæ, qui S. Augustini auctoritatem nimis exaggeraverunt D 1320.

CENSURA.—Implicite definita in Conciliis Chalcedonensi D 148, Constantinopolitano 111 D 291 et Nicæno 11 D 303 (hæc Concilia, testimonii SS. Patrum innixa, ad definitiones devenerunt); Trid D 786, 843.^a, 894, 947, 959, 983, 995; Vat. D 1788.

PROBATIO.—Consensus Patrum in rebus fidei et morum adeo intime connectitur cum Ecclesia docente ut error in consensu Patrum induceret errorem Ecclesiæ Universæ. A- Ecclesia Universa in rebus fidei et morum errare nequit. Ergo consensus Patrum in rebus fidei et morum divinæ Traditionis est criterium certum.

Min.: Ex Ecclesiæ infallibilitate.

Mai.: Quia consensus Patrum attestantium doctrinam aliquam ab Ecclesia credi tamquam revelatam est testimonium cui Ecclesia assentitur et accipit tamquam expressio suæ fidei. Adde quod tot sæculorum decursu concilia adhibuerunt hoc criterium ad definienda dogmata. Lerinensis verba, agens de Ephesina Synodo: "divinitus placuit, nihil aliud posteris credendum decernere nisi quod sacra sibique in Xto. consentiens SS. Patrum tenuisset antiquitas" (Msi 4, 1183). Et Tertullianus: "Quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum" (ML 2, 47). Cfr. R 1898-1900, 2142, 2168, 2175.

(Cfr. Salaverri, p. 745. Conditions requisitæ pro vero argumento ex consensu Patrum.)

Scholion.—Etiam Theologorum consensus in rebus fidei et morum est certum divinæ Traditionis criterium, quia similem connexionem intercedit inter Ecclesiæ Magisterium et hunc consensum. D 1680, 1683, 1684.

De auctoritate S. Thomæ in Theologia. In Theologia auctoritas S. Thomæ est omnino singularis et major, in genere, auctoritate alterius cuiuscumque Doctoris vel Theologi, quod patet ex communi agnitione cultorum scientiæ theologicæ necnon ex approbatione explicita et specialissima Summorum Pontificum (D 2191). Sed Romani Pontifices doctrinas thomisticas tamquam tutas normas directivas commendant, nullo amplectendi thessem imposito officio, et justam investigationis libertatem et honestam scholarum æmulationem minime tollere volunt. Quamvis S. Thomæ doctrina tamquam via tuta ab Ecclesia approbetur, non ideo singula ejus asserta censenda sunt ab Ecclesia sanciri ut vera; neque ideo aliorum Theologorum, quorum laus in Ecclesia est, asserta, quamvis Aquinatis assertis contraria sint, dici possunt ab Ecclesia ut falsa vel erronea ullo modo improbari; neque ideo alia Theologorum systemata notanda sunt tamquam viæ

non tutæ. Denique, en norma O. F. M., a S. Sede approbata: "In doctrinis philosophicis et theologicis Lectores Schoiæ Francicanæ ex animo inhærente studeant; ceteros scholasticos, Angelicum præsertim Doctorem S. Thomam, catholicarum scholarum cælestem Patronum, magni faciant" (Art. 60, Statuta pro studiis, 1949).

Corollarium.—*Qualificationes propositionum in Theologia* (nominantur etiam *Notæ, Valores, aut Censuræ*). Qualificatio est formula exprimens gradum certitudinis quæ propositionibus competit ex ipsarum convenientia cum veritate quam revelationis Fontes et universale Magisterium exhibent. En schema præcipuarum qualificationum:

1 *Relate ad Fontes Revelationis:*

1. *De fide divina* (= doctrina quæ formaliter (sive explicite sive implicite) continetur in *Fontibus Revelationis*).
2. *Theologice certa* (= doctrina tantum virtualiter contenta in *fontibus*; cum revelatis connexa; conclusio theologica).

II *Relate ad Magisterium:*

3. *Infallibiliter certa* (= infallibiliter edocta a Magisterio, sive sollemni sive ordinario).
4. *Doctrina catholica* (= edocta mere authentice a Magisterio).

III *Relate ad utrumque:*

5. *De fide divina definita* (= doctrina formaliter contenta in *fontibus* et a Magisterio sollemni, ut credenda, definita) (1 + 3).
6. *De fide divina et catholica* (= doctrina formaliter contenta in *fontibus* et Universali et Ordinario Magisterio infallibiliter, ut credenda, proposita) (1 + 3).
7. *De fide definita* (= doctrina connexa cum revelatis et sollemni iudicio infallibili, ut *tenenda, definita*) (2 + 3).
8. *De fide catholica* (= cum revelatis connexa et Universali et Ordinario Magisterio infallibiliter ut *tenenda proposita*) (2 + 3).

(*Nota.*—*Qualificationes sub nums. 7 et 8 innecessariæ considerantur ab illis qui admittunt quæcumque definierit Ecclesia, sive sint revelata sive cum revelatis connexa, fide divina credi. In tali casu sub nums. 5 et 6 includuntur conclusiones theologicæ a Magisterio infallibiliter declaratæ.)*

Scholion.—Encyclica "Satis Cognitum", Leonis XIII a. 1896, *De Unitate Ecclesiæ contra eos qui unitatem christianam concipiunt ut meram confœderationem ecclesiarum*. Cfr. textum apud Madoz, "El Primado Romano"; numeri qui citantur pertinent ad hoc Enchiridion. Summus Pontifex intendit in his litteris describere veram imaginem Ecclesiæ, errantes attrahendi causâ, id est, ut omnes redeant ad veram unitatem. Origó divina Ecclesiæ: Christus, Filius Dei Incarnatus attulit salutem hominum, et ut suum salutiferum opus perenne redderet, collegit discipulos et eis tradidit determinatam quamdam missionem. Ex hac missione exorta est Ecclesia. Duplex elementum in ea: spirituale et visibile. Errant proinde qui nolunt in Ecclesia videre nisi exteriora et similiter qui eam concipiunt ut quid mere invisible. Insuper Ecclesia debet esse perpetua, ex voluntate Christi. Quia orta est ex positiva dispositione Christi, ejus natura determinanda est etiam ex Xti. voluntate. Jamvero qualis debet esse unitas Ecclesiæ secundum Xti. mentem? Christus minime instituit Ecclesiam compositam seu con-

flatam ex multis communitatibus, sed fecit eam unam, et hæc unitas semper existit, quamvis hæreses conentur hanc unitatem sectis suis dilacerare. "Aedificabo Ecclesiam meam", ait Jesus, ergo unam et intime unitam (342). Ei commisit Christus opus continuandi suam propriam missiōnem, videlicet, genus humanum salvandi opus atque munus. Ergo salutem partam a Jesu ad omnes homines extendere et ad omnes propagare ætates debet Ecclesia. Et ob hanc causam debet esse una et unica in toto mundo. Hic est mons vaticinatus ab Isaia (2, 2) visibilis omnibus populis. Corpus Christi Mysticum (345) ergo membrum ab unitate corporis segregatum non habet vitam. In Christi Ecclesia unitas debet esse interna et arctissima: "Ut unum sint"... Jamvero hæc unitas obtineri nequit si non habeatur harmonia mentium seu *unitas fidei*: en primum vinculum. "Unus Dominus, una fides". Doctrina Christi partim in sacris litteris consignata est; sed si unusquisque deberet inde pro suo captu fidem accipere, unitas fidei nullo modo servaretur ex multitudine interpretationum (347). Sed Sapientia Dei alio modo providit. Cum Christus tradidit Apostolis suam propriam missiōnem continuandi munus vult ut Apostoli doceant homines sub assistentia Spiritus Sancti doctrinam Jesu, et fideles assensum præbere iis quæ ab Apostolis docentur. Et hoc munus docendi debet esse perpetuum in Ecclesia per successores Apostolorum. Ecclesia semper magno cum zelo tutata est unitatem fidei: eum qui in rebus fidei cum ipsa non sentit, ejicit e sinu suo. Et hæc fuit mens et doctrina SS. Patrum (353). Ergo Christus instituit in Ecclesia Magisterium vivum et authenticum. Cum Magisterium definit determinatam veritatem ad depositum doctrinæ revelatæ pertinere, fidelis habet obligationem eam credendi. Et qui renuit aliquam ex his veritatis admittere, in universa fide naufragium patitur, nam talis suo proprio iudicio nititur, sibi ipsi et non Deo oboedit. Revelationem accipere debemus ex propositione Ecclesiæ.

Præter doctrinalem, existunt insuper in Ecclesia aliæ duæ missiones: *regiminis nimirum et sanctificatoria* (355). Cum hoc triplice vinculo obtinetur unitas quam arctissima in hoc Regno ab ipso Deo condito et quod in æternum stabit.—Sed unitas regiminis postulat caput aliquod supremum in Ecclesia (359). Primatus Petri. Verba promissionis: Primatus honoris vel inspectionis et directionis non sufficit. Textus collationis. "Sed ego oravi pro te, ut non deficiat fides tua". Petrus debet esse columna fidei, Petra et Rex Ecclesiæ. Caput fratrum suorum, Pastor universalis totius gregis Christi; suscepit gubernacula universæ Ecclesiæ.—Romanus Pontifex est successor S. Petri in hoc Primatu (364)). Testimonia SS. Patrum, Summorum Pontificum et Conciliorum. — Sed summus Pontificatus minime suppressit Episcopatum (365). Episcopi sunt successores ordinarii Apostolorum. Sed dependentes a Papa. Nihil datum est Apostolis independenter a Petro; e contra, Petro multa collata sunt independenter ab Apostolis. Papa, principium et centrum unitatis. Episcopus qui non servat communionem cum Papa nullam habet auctoritatem in Ecclesia. S. Bernardus in suo opere "De consideratione ad Papam Eugenium" (368). Auctoritas Papæ supra singulos Episcopos et etiam supra corpus Episcoporum. Vicarius Christi, habens potestatem supra Ecclesiam Universam. Ecclesia semper agnoscit hanc potestatem, ut ex Historia constat (370). Vaticanum non induxit doctrinam novam. Neque confusio ulla oritur ex eo quod fidelis habet duplē Pastorem, Episcopum scilicet et Papam, quia auctoritas Episcopi subordinata est Papæ.—Conclusio (372). Ad christianos qui longius ab Ecclesia vagantur;

nemo potest esse cum Xto. quin ejus Sponsam accipiat. Nemo potest habere Deum patrem qui Ecclesiam non habet matrem. Necessarium est Ecclesiam accipere talem qualem Christus Deus condidit et voluit.

* * *

Nostris diebus fiunt conventus pro unitate christianorum procuranda. Qualis sit positio Ecclesiæ Catholicæ quoad hanc rem facile eritur ex his quæ dicta sunt. Unitas jam exsistit in vera Ecclesia Christi; non potest creari quod jam adest. Ecclesia non potest abdicare vel deserere nec minimam quidem partem depositi revelati quod ipsa integre inviolabiliterque servat. Redditus in sinum veræ Ecclesiæ, absque ulla conditione dogmatica, est unica solutio possibilis ad hoc problema.

Tam ex Enc. "Satis Cognitum" quam ex "Mystici Corporis" deducitur momentum triplicis potestatis ecclesiasticæ quoad enucleationem conceptus de Ecclesia. Hanc triplicem potestatem statuit Christus primariam legem totius Ecclesiæ. Ad triplex munus Mesiæ correspondent tres potestates ecclesiasticæ.

Rex - Pastor,	Propheta - Magister,	Sacerdos seu Pontifex
Via,	Veritas	et Vita
Spes,	Fides,	Caritas
Regendi,	docendi	et sanctificandi potestates

Patet etiam ex dictis momentum quod elementum doctrinale obtinet in religione christiana. Christus rogat pro Apostolis ut sint sanctificati in veritate, Jo 17, 19, i. e. absolute consecrati et devoti veritati Dei, quæ in Evangelio Christi revelatur; traditi ad servitium *veritatis*. Antiquum Testamentum fere ad cultum reducebatur; Novum consistit imprimis in *doctrina* aliqua. Ideo Ecclesia, cum agitur de doctrina, nunquam potest transigere seu pacisci.

* * *

EPILOGUS

Hoc loco explicit proprie Theologia Fundamentalis. Si totam substantiam hujus disciplinæ voluerimus nunc brevissimis propositionibus amplecti, hoc modo fieri posset:

- 1) Jesus Christus, Filius Dei Incarnatus attulit nobis religionem revealatam, unice veram, pro omnibus hominibus destinatam et ad salutem necessariam. Ipse ergo est pro nobis via ad Deum ac Magister in rebus religiosis.
- 2) Christus vero suam Revelationem Ecclesiæ ab ipso conditæ tradidit et commisit. Igitur, volentes nunc invenire veram doctrinam Christi, debemus ante omnia invenire veram Christi Ecclesiam. *Ubi Ecclesia, ibi Christus.*
- 3) Sed quomodo poterit vera Christi Ecclesia a falsis dignosci? Nota petreitatis seu romanitatis est ad hoc quam aptissima: illa Ecclesia quæ est supra petram ædificata potest tantum unica vera Christi Ecclesia esse. *Ubi Petrus, ibi Ecclesia* R 1261.
- 4) Ex hac vera Ecclesia, charismate infallibilitatis munita, depositi revelati custode atque populorum magistra accipit fidelis Christi revelationem, quia ipsa infallibiliter docet depositum fidei a suo Sponso Christo ei traditum. Qui rejicit Ecclesiam, rejicit Christum, qui respuit Christum negat Deum, nam Deus misit Christum et Christus Ecclesiam.

TRACTATUS II DE ACTU FIDEI

Factum Revelationis ex Theologia Fundamentalí constat. Pariter scimus jam hanc Revelationem homines ex propositione Magisterii Ecclesiæ debere accipere. Jamvero hæc acceptatio veritatum revelatarum fit fide. Ideo oportet nunc investigare quomodo fiat hic actus fidei, quibus conditionibus, natura et proprietatibus talis actus ornatus sit, simulque necessitatem actus fidei ad justificationem. Hic tractatus est stricte dogmaticus et quatuor sectionibus eum absolvimus: 1.^a) De judicio credibilitatis et credenditatis ante fidem efformando (th. I-III); 2.^a) De natura actus fidei (th. IV-VIII); 3.^a) De necessitate actus fidei ad justificationem (th. IX); 4.^a) Tandem extra thesim quædam adduntur circa methodum theologicam et circa necessitatem scientiæ theologicæ. Optime venit hic tractatus immediate post Theologiam Fundamentalem et antequam incipiat studium Theologiæ Dogmaticæ, quia hæc nihil aliud est nisi scientia fidei, i. e. scientifica expositiō et enucleatio illarum veritatum quæ a Deo revelatæ, ab Ecclesia propositæ et a christiano per fidem creduntur.

THESES I

Ad amplectendam fide Religionem revelatam prærequiritur certitudo de facto revelationis; sufficit vero certitudo moralis, etiam vulgaris

NEXUS.—Duo momenta probe distinguenda sunt in fide: 1.^o judicium credibilitatis, 2.^o actus ipse fidei. Ad hoc ut actus fidei sit possibilis, homo debet esse certus de facto revelationis et de obligatione quam habet illam revelationem amplectendi. Ergo hæc certitudo prævia quæ prærequiritur duo includit: a) judicium credibilitatis (= hanc revelationem amplecti est rationabile, quia argumentis certis innititur); b) judicium credenditatis (= habeo obligationem moralem illam amplectendi). Igitur antequam naturam actus fidei investigemus, in tribus his prioribus thesibus agimus de certitudine prævia.

NOTIONES.—Certitudo, *ut status subjectivus mentis*, consistit in firmitate assensus excludente omnem prudentem formidinem errandi. Ut pro-

prietas judicii, certitudo consistit in intrinseca necessitate judicii essendi verum. Hæc proprietas et necessitas in judicio ideo habetur, quia positum est ob perspecta motiva objectiva, quæ habent connexionem cum veritate. Tunc habetur certitudo objectiva, quæ distinguitur a certitudine pure subjectiva, quæ habetur cum tantum adest adhæsio mentis, sed sine objectivis motivis. Hæc firmitas in assensu admittit varietates et gradus, prout sint motiva assensus quæ cognoscuntur. Si motiva sunt ordinis metaphysici et fundantur tandem in principio contradictionis, certitudo erit metaphysica et absolute infallibilis; si motiva sunt ordinis physici et fundantur in constantia physica legum naturæ, quin adsit suspicio de exceptione, tunc habetur certitudo *physica*; si motiva sunt ordinis morum et fundantur in constantia psychologica humani modi agendi, vel in eo quod solet accidere juxta judicium prudens, tunc habebitur certitudo *moralis*. Tam certitudo physica quam moralis non sunt absolute infallibilis, nisi reducantur ad metaphysicam; sed excludunt omnem formidinem prudentem errandi. Motivum, quo quis cognoscit revelationem divinam factam fuisse est ordinis physici pro eo qui revelationem directe acciperet, sed pro aliis est ut plurimum per testimonium; hinc est ordinis moralis et certitudo quæ tunc habetur est certitudo moralis.

Certitudo vulgaris opponitur *scientificæ*, et est illa quæ habetur sine examine motivorum (quæ sane habentur) et ideo non est reflexa. Semper ac adest certitudo, adest evidētia (sive intrinseca sive extrinseca rei) seu claritas in cognitione convenientiæ inter subjectum et prædicatum. Sed aliquando evidētia est lucidissima perspicientia quæ intellectum necessitat et expellit etiam imprudentem formidinem errandi, ut accidit in veritatibus mathematicis simplicioribus. Aliquando vero illa claritas, etsi sufficiens ad assensum prudentem et firmum, non est tanta quæ necessitat intellectum et excludat possibilitatem dubii imprudentis.

PARS 1. *Prærequiritur certitudo de facto revelationis.*

ADVERSARI1.—Fideistæ et semifideistæ: ut habeatur certitudo de facto revelationis requiritur ipsa fides. Cfr. D 1622-1627, 1649-1651. Modernistæ: assensus fidei ultimo innititur in congerie probabilitatum. D 2025.

CENSURA.—Doctrina Catholica. D 1637, 1639, 1171, 1790.

PROB.—*Ex S. Scriptura et Traditione.* Ex omnibus textibus Scripturæ et Traditionis quibus probatur firmitas actus fidei. Gal. 1,8; Act. 8,37, etc.

Ratio theologica. Si non habetur certitudo de facto revelationis, acceptatio illius revelationis nequit esse firma, prudens et irrevocabilis. A-acceptatio revelationis per fidem debet esse firma, prudens et irrevocabilis... Nisi habeatur certitudo de facto revelationis patet quod fundamentum fidei non potest esse firmum. Insuper qui imprudenter credit, facile decipitur.

PARS 11. *Certitudo moralis, etiam vulgaris, sufficit.*

ADVERSARI1.—Quidam pseudomystici —protestantes— qui requirunt sensum internum vel inspirationem privatam (D 1812); quasi certitudo physica requiri retur. Vide quibus verbis calvinista Leizarraga hanc sententiam exponat in prologo versionis Novi Testamenti in linguam vasconicam: "Eta Jaincoac eguin drauzkigun on handi eta excellent hauc eçagut ditzagunçat, emaitem draucu bere Spiritu saindua, ceinec sinhets eraciten baitraucu Jainco Aita baithan, eta harc igorri duen Regue eta Messiasa baithan. Ecen segur, Spiritu sainduaren operationea gabe (ceinec instruitzen eta seguraten baiquaitu) ecin sinhets gueneçaque nola Messiasa igorri ukan duen Jaincoac mundu hunetara, ezeta nola Messias hura Jesus den. Ecen S. Pau-

iec erraiten duen beçala, Nehorc ecin eguiazqui confessa deçaque, Jesus Jainco eta Jaun dela eta harc salvatzeko botherea duela, baldin Spiritu Sainduaren moienez eta inspirationez ezpada. Spiritu hunec berac testificatzen eta sinhets eraciten drauca gure spirituari, ecen Jaincoaren haour garela, eta erausten eta çabaltzen du gure gainera S. Paulek Corinthianoratco epistolan scribatzen duen charitate eta amorio handia" (*Jesus Christ gure Jaunaren Testamentu Berria*, Rochellan, 1571).

Sunt etiam adversarii illi qui statuunt examen prævium philosophicum omnium dogmatum vel requirunt certitudinem scientificam (D 1815, 1619).

CENSURA.—Theologice certa quia deducitur ex D 1812 (= revelatio credibilis fieri potest etiam criteriis externis, quæ certitudine morali innotescunt), D 1815 (= sufficit certitudo vulgaris) et D 1794.

PROBATIO.—Certitudo moralis, etiam vulgaris, cum sit vera certitudo, excludit omnem prudentem formidinem errandi ac proinde habet talem firmitatem qua possit homo Deo revelanti assensum plenum, et prudenter rationabilem atque irrevocabilem præstare. Ergo sufficit.

Ceterum non alia certitudo est possibilis vel præsupponi potest ad actum fidei, quam hæc certitudo moralis (interdum pure vulgaris), quæ respondet facto historico revelationis. Ergo amplior certitudo non est exigenda, nec Deus illam exigit.

THESES II

Certitudo respectiva sufficit aliquibus hominibus ad verum assensum fidei eliciendum

NEXUS.—Ex thesi præcedenti constat certitudinem præviam de facto revelationis requiri ante actum fidei. Jamvero aliqui homines perveniunt ad certitudinem motivis de se insufficientibus, v. gr., pueri et rudes. Ideo ponitur quæstio utrum sufficiat certitudo his motivis fundata.

NOTIONES.—*Certitudo respectiva* i. e. relate ad aliquos (ad pueros et rudes). Est adhæsio mentis ad aliquod judicium ob motivum de se insufficientis ad excludendum errorem ac proinde insufficientis de se ad firmiter prudenterque adhærendum (v. gr. testimonium unius hominis, parentum, etc.), sed tamen sufficientis per accidens pro aliquibus ut prudenter agant.

Certitudo respectiva non debet confundi cum vulgari, quia in hac dantur motiva objective valida ad assensum et ut talia cognoscuntur, licet non reflexe et scientifice; in certitudine vero respectiva motivum, prout cognoscitur, non est de se validum.

ADVERSARII.—Inter auctores catholicos disputatur utrum sufficient talis certitudo respectiva ad actum fidei. Qui negant (Garrigou-Lagrange, Pesch, Tromp...) et requirunt certitudinem formalem ob motivum de se sufficientis, debent defendere pueros et rudes in suis actibus fidei apprehendere, saltem confuse, motivum validum pro fide elicienda, v. gr., ipsum factum Ecclesiæ, quod ipsos certos facit de revelatione divina.

Tales auctores rem ita concipiunt: Pueri qui educantur in Ecclesia Catholica ipsam Ecclesiam paulatim cognoscunt, esse per orbem diffusam, au-

diunt enim de missionariis; cognoscunt etiam de sanctis Ecclesiæ et de miraculis quæ fiunt; cognoscunt pariter esse unam in eodem credo et in missa eadem celebranda et iisdem sacramentis administrandis in toto mundo; omnes subici Papæ, quem omnes ubique venerantur; est enim successor S. Petri et trahit successionem Apostolorum... Item audiunt in concionibus per annum vel in schola miracula Jesu Christi, ejus resurrectionem, ejus bonitatem et sapientiam, multos pro eo passos et mortuos esse... Ita fit ut paulatim adducantur ad validum motivum credibilitatis fidei persicendum...—Hæc non negamus, immo admittimus; sed adhuc videtur dicendum, cum aliis multis auctoribus, sufficere pro actu fidei meram certitudinem respectivam de facto revelationis.

CENSURA.—Probabilis.

PROBATIO. — 1) Ex experientia ægre concipitur quomodo interdum pueri, qui debent elicere actum fidei, puta pro prima communione, motivum undequaque validum et sufficiens percipient. Idem omnino dic de hominibus plane rudibus quos interdum breviter debebis parare ad primam confessionem et communionem, et docere eos veritates de necessitate mediæ et alias simpliciores...; vel de pagano qui audit missionarium *unum* bona quidem vita et abnegatione illi prædicantem.

2) Talis assensus præstitus ob motivum de se quidem insufficiens, sed ob auctoritatem parentum, hominis sapientioris et probi, in pueris et rudibus est assensus prudens, et in vita quotidiana etiam in rebus gravioribus (v. gr. pro cognitione parentum) omnino ita agunt; et prudenter. Ipsi autem secundum prudentiam agere debent, et Deus vult eos ita agere virtuose, et sine dubio paratus est illis suam gratiam impertiri. Ex hac gratia explicandæ sunt qualitates quæ sunt propriæ actus fidei. Fides vero pueri vel rudis heterodoxi, qui caret gratia, non erit nisi fides humana, fortasse subjective prudenter elicita, sed non fides supernaturalis.

Scholion.—*De viis ad certitudinem præviam ante fidem obtinendam.* Bainvel distinguit duas vias quæ dari solent. 1.^a via *fortium*: studium, investigatio, via apologetica seu demonstrationis scientificæ. Ipse fatetur hanc viam communius percurri a credentibus quam ab incredulis. Quamvis hæc via sit tuta et certissima, tamen, ut integre percurratur usque ad finem, supponit quamdam sanitatem spiritus, animam liberam a præjudiciis, amorem veritatis vehementem, qualitates quæ raro inveniuntur, præsertim in re religiosa. De facto ordinario non pervenitur ad fidem vel ad certitudinem facti revelationis per hanc viam. 2.^a *Via simplicium*: ducunt ad factum revelationis per fidem humanam. Per verbum matris, alicujus catechistæ vel sacerdotis cognovimus Jesum venisse in terram, ejus historiam atque doctrinam, et credidimus ea quæ de eo dicta sunt nobis simili modo ac credidimus ea quæ de Cæsare narrantur. Testimonium humanum sufficienti auctoritate præditum dedit nobis certitudinem requisitam. Et etiam increduli, cum convertuntur, solent venire ad fidem per hanc viam simplicium. Hoc vero non obstat rationabilitati fidei, nam omnino rationabile est alium accipere in magistrum et ducem itineris cum via percurrenda ignoratur; et hoc non fit cæco modo, quia menti cathecumeni patet auctoritas sui magistri. SS. Pafres summopere inculcant fidem humanam, tamquam conditionem necessariam ut perveniantur ad fidem divinam: “*Crede ut intelligas*”. Alius omnino est finis Apologistarum, quorum munus est demonstratio stricte scientifica religionis.

Scholion.—De Apologetica theorica et practica. De processu conversionis. Apologetica theorica est scientia speculativa quæ tota quanta incumbit demonstrationi rigorosæ fundamentorum fidei christianæ. Apologetica vero practica potius est ars et ut talis docet sacerdotem modum sese gerendi ad hoc ut incredulos ducat ad fidem. Apologista practicus eget quidem fundamentis et argumentis ex Apologetica theorica desumptis sed insuper debet habere præ oculis hominem concretum cum sua psychologia determinata, difficultatibus, repugnantibus, etc.

In processu conversionis distingui possunt velut tria stadia:

1.º stadium: pervenire ad serenitatem animi et studium veritatis. Valde difficile est aliquoties hujusmodi certitudinem obtinere. Non raro incipitur a corde; si sacerdos affectum vel amorem erga incredulum patefacit, illius animum sibi devincit. Ita instituitur quædam mutua consuetudo et affinitas.

2.º stadium: judicium credibilitatis, i. e. ducere illum usque ad certitudinem subjectivam de veritate revelationis. Ut hoc obtineatur, ratio habenda erit diversorum subjectorum, nam non omnium exigentiae solent esse similes. Sed judicium credibilitatis mere speculativum et frigidum raro dicit ad fidem. "Frusta te fatigas, Pater, ego video tua argumenta, sed non possum credere".

3.º stadium: imperium voluntatis: etiam post visionem argumentorum, fides adhuc manet in libera potestate hominis. Voluntas debet intervenire ut homo credat. Sæpe increduli fatentur ipsos credere non posse, quamvis argumenta videant; sed fides est in manu et potestate hominis cum gratia, quam Deus minime negabit.

THEISIS III

Per se non requiritur lumen internum supernaturale, ut factum revelationis certo cognosci possit

NEXUS.—Diximus ante fidem requiri certitudinem de facto revelationis. Nunc quæstio est utrum ad hanc certitudinem attingendam sufficient vis naturalis potentiae cognoscitivæ et criteria externa seu opera divina facta in confirmationem revelationis.

NOTIONES.—Lumen internum seu subjectivum dicitur per oppositionem ad lumen objectivum. Lumen objectivum sunt criteria externa seu opera facta a Deo in confirmationem revelationis. Lumen subjectivum esset supernaturalis vis cognoscitiva quæ daret potentiam ad motiva credibilitatis certo cognoscenda. Dicimus ergo talem vim non requiri: sufficit potentia cognoscitiva naturalis hominis, i. e. homo habet potentiam physicam ad judicium credibilitatis formandum.

Distingue *lumen subjectivum a gratia*. Per gratiam actus fit salutaris (supernaturalis, meritorius); non verò auget vim cognoscitivam. Insuper, per gratiam structura psychologica actus non mutatur, gratia non est (generaliter) datum immediatum conscientiæ. Probabiliter actus prævii ante fidem sunt entitative supernaturales vel saltem dantur auxilia interna Spiritus Sancti ante fidem D 1790. Attamen indoles logica et psychologica normalis illorum actuum non mutatur.

ADVERSARIUS.—Protestantes conservativi, qui exigunt illustrationem internam ut cognoscatur ut divina externa propositio revelationis per Sacram Scripturam.—Aliqui theologi catholici a. 1700 similia docebant: J. B. Gor-maz et J. de Ulloa. nostris diebus P. Rousselot: motiva credibilitatis ha-bent quidem valorem objectivum, sed hic valor percipi non potest sine lumine interno supernaturali.

CENSURA.—Theologice certa, quia eruitur ex documentis Ecclesiæ: D 1623-27 (præsertim ultima), 1637-39, 2145, 1790. Et nuperrime “*Humani Generis*”.

PROBATIO.—1. Viribus naturæ certitudo objectiva de facto revelatio-nis possibilis est, si viribus naturæ certo constare potest de veritate his-torica, philosophica, theologica et relativa miraculorum. A- E-

2. Qui necessitatem luminis defendit, negat quod existat ullum argu-mentum, quod per se solum gignit certitudinem de facto revelationis. A- hoc est contra mentem Ecclesiæ.—Revera, Ecclesia defendit valorem scientificum Apologeticæ; ipsa ratio demonstrat, infidelem inexcusabilem esse. “Dæmones credunt” (Jac 2, 19): sunt ergo convicti evidentia signorum.

Hinc et non credentibus potest scientificæ et rigorose demonstrari ratio-nabilitas nostræ fidei et obligatio credendi. Infideli vere demonstrari potest quod non credens peccat contra naturam suam rationalem. A nemine requiri-tur experimentum fidei, sacrificium intellectus, eo sensu quod prius cre-dere beat, quam habeat judicium evidens credenditatis.

THESSIS IV

Actus fidei est actus intellectus assentientis

NEXUS.—Debemus jam investigare naturam ipsius actus fidei sequen-tes Conc. Vaticanum, s. 3 c. 3. Et in hac thesi IV probamus fidem esse actum intellectualis.

NOTIONES.—*Fides*. Est modus cognoscendi diversus a scientia. Homo potest certus fieri de aliquo facto vel quia ipsem suos oculis vidit illud vel natus verbo alterius, dummodo hic præbeat argumenta credibilitatis. In multis rebus fides est unicus modus possibilis cognoscendi, nam campus scientiæ directæ est valde restrictus. Fides est velut modus socialis cog-noscendi, siquidem per fidem participes sumus cognitionum aliorum; auctoritas quam quisque habet coram me dat mihi medium ut possideam veri-tatem quam ego non detegi. Ergo fides pertinet ad ordinem cognitionis, et est modus cognoscendi diversus quidem a scientia, sed verus, certus, rationabilis et valde usitatus in vita hominum. Similiter accedit in fide ca-tholica; etiam hæc pertinet ad ordinem cognitionis, consistit in quibusdam veritatibus accipiendois auctoritate alterius.

Intellectus assentientis, i. e. affirmantis seu judicantis esse verum illud quod ei proponitur.

In tota hac quæstione de fide probe et accurate distinguendum est (ut antea diximus) iudicium credibilitatis et credenditatis ab actu fidei. Illud est aliquid præsumendum, conditio necessaria ad hoc ut actus fidei sit pos-sibilis; in iudicio credibilitatis omnia sunt scientifica, studium speculati-



vum, ita ut homo perveniat ad certitudinem facti revelationis. Dein sequitur actus fidei, qui jam non est in eadem linea scientifica, sed pertinet ad ordinem cognitionis per fidem.

ADVERSARII.—1) Protestantes. Pro ipsis fides justificans non est assensus, sed fiducia: proinde procedit a voluntate: non est nisi subjectiva fiducialis appropriatio quam homo sibi facit justitiae Christi.

2) Schleiermacher (+ 1834) posuit fidem esse religiosum quandam sensum dependentiae erga Deitatem. Rischl (+ 1889) vero, apprehensionem quandam realitatis extramundanae, ortam ex intima subjectiva experientia Xti. Hi auctores maximum influxum exercuerunt usque ad nostra tempora.

3) Vitalistae, Modernistae, Existentialistae, etc. Tendentia communis philosophiae modernae est explicare fidem religiosam ut si esset aliquid "arrationale", "alogicum", aliquid quod pertinet ad sentimentum, ad intuitionem, etc. et nullo modo ad intellectum.

CENSURA.—Fidem esse actum intellectus est de fide definitum; esse assensum intellectualis est saltem implicite definitum. D 798, 822, 1789, 1792, 1811, 1814, 1795, 2078, 2145.

PROBATIO.—1. *Ex Sacra Scriptura.*

a) Hebr. 11, 1. Sensus est: debetis ex fide vivere ut placeatis Deo; haec ergo fides est: 1.^o rerum, quae sperantur, realitas (= per fidem fit in nobis existens id quod ahdusc non existit in re); 2.^o rerum, quae non videntur, probatio (= per fidem ea pro certis et veris demonstrantur quae alioquin sensu et ratione cognosci nequeunt). In priori membro agitur de rebus quae nondum habentur (sperantur), in altero de iis quae supernaturalia sunt (non videntur) "Argumentum" clare indicat probationem vel actum probandi, quae omnia ad intellectum pertinent. In toto cap. 11 agitur de fide intellectuali.

b) Ex S. Johanne. Fides habet tamquam objectum facta, vel id quod revelatum est, vel id quod praedicatum est, cui objecto est adhaerendum; ergo agitur de actu intellectus assentientis. Cfr. 16, 27; 17,8; 1, 49 s.; 20, 31; 5,38, etc. Notandum est "credere" in Scriptura saepissime continere ideam cuiusdam totalis adhaesioneis Deo revelanti; haec adhaesio est verus assensus, cui adjungitur animae devotio.

2. *Ex Traditione.* R 421, 820, 1980, 2144.

3. *Ex ratione theologica seu ex conceptu communi fidei.* Fides communis consistit in assensu intellectuali, ergo similiter fides religiosa.

THEISIS V

Actus fidei est assensus propter auctoritatem Dei revelantis

NEXUS.—Volumus jam ulterius determinare motivum assensus intellectualis in fide.

NOTIONES.—*Propter* est particula denotans motivum seu id quod intellectum movet seu determinat ad assensum. Agitur de motivo actus fidei praecise et formaliter sumpti (jam diximus actum fidei distinguendum esse a judicio credibilitatis et credenditatis).

Assensus propter auctoritatem (loquentis). In hoc differt quælibet fides a scientia. In scientia motivum assensus est evidentia rei, in fide vero testimonium loquentis. Ergo in fide intellectus movetur ad assentiendum ex cognita auctoritate testis. Dicitur auctoritas testis vis quædam moralis in teste residens, propter quam est fide dignus, quæ reducitur ad scientiam et veracitatem.

Auctoritas Dei revelantis. In hoc formaliter differt fides divina a quælibet alia fide. Sicut non datur fides humana sine locutione testis humani, sic nec fides divina sine locutione Dei stricte dicta, id est, sine revelatione.

ADVERSARII.—Rationalistæ, qui fidem intelligunt rationalem scientiam rerum ad Deum et ad religionem pertinentium. Semirationalistæ, qui fidem dicunt persuasionem de Deo et rebus divinis, etiamsi oriatur ex perspecto intrinseco nexu idearum.

CENSURA.—De fide definita, tum quoad differentiam essentialem inter fidem et scientiam tum quoad determinationem motivi pro fide D 1789, 1811, 2145.

PROBATIO.—1. *Ex Sacra Scriptura.*

Jo 3, 11 ss.: Jesus postulat acceptationem sui testimonii, quod testimonium est Xti. loquentis, qui sciens et verax est. Jamvero hoc est assentiri propter auctoritatem Dei revelantis; ergo motivum fidei est auctoritas Dei revelantis.

Jo 3, 31-36: Credere in Filium est accipere ejus testimonium. Credere est signare quasi sigillo propriæ adhæsionis veracitatem Dei.

1 Jo 5,9-12: Si testimonium hominum accipimus... Qui non credit mendacem facit Deum.

2. *Ex Traditione* R 173, 562, 1303, 1321, 417, 963, 1277, 1181, 2065.

3. *Ratio theologica.* Fides humana est assensus præstitus loquenti propter ejus auctoritatem; ergo a pari fides divina.

Scholion.—*Fides scientifica et fides auctoritatis.* Differentiam essentialem inter fidem et scientiam existere scimus jam ex dictis. Sed ipsa fides potest esse duplicitis specie: 1) Fides fundata in evidentia testimonii; 2) fides fundata super nuda auctoritate testis. Ita in rebus historicis, in quibus scientia directa est impossibilis, præsto fidem quia ratio mea videt auctorem loqui veritatem, et assensus meus est totus quantus mensuratus per meam evidentiam. "Credo quia video testem dicere verum": en formula fidei scientificæ. Sed existit alia species fidei. Exemplum classicum est pueri: "Hoc ita se habet, quia mea mater dicit". Ipse non vult controlare affirmationem matris nec assensus mensuratur a visione motivorum. Auctoritas matris est unicum motivum suæ fidei: "Ego credo quia tu dicis", en formula fidei auctoritatis. Hæc altera species fidei est quæ melius realizat conceptum et notionem fidei, nam prior accedit ad scientiam. Hac fide obsequium fit testi. Juxta Bainvel, omnes quæstiones agitatæ inter theologos oriuntur ex eo quod alii concipient fidem catholicam tamquam fidem scientificam (Lugo, Franzelin...), alii vero tamquam fidem auctoritatis (S. Thomas, Suárez...). Quamvis omnes conentur salvare proprietates essentiales fidei catholicæ, videtur quod ultima explicatio est sola accipienda ut vera: multo melius salvat libertatem fidei, influxum voluntatis, meritum, obsequium Deo præstitum, obscuritatem fidei, etc. Rationabilitas talis actus etiam optime salvatur, quia judicium præsumum credibilitatis ostendit mihi

illam veritatem dictam fuisse a Deo. Difficultas fidei scientificæ, cfr. Bainvel, c. 5. "Præceptor, per totam noctem laborantes, nihil cepimus: *in verbo autem tuo laxabo rete*" Lc 5, 5. Ita procedit fides. Ut actus psychologicus, fides supernaturalis minime differt a fide naturali, ergo non videtur admittenda opinio eorum (Suárez, etc.) qui dicunt auctoritatem divinam in fide supernaturali characterem proprie supernaturalem præ se ferre debere, aliter ac apprehenditur auctoritas divina in actu fidei naturalis.

THESES VI

Actus fidei est assensus essentialiter obscurus, sed certus certitudine adhaesionis et infallibilitatis

NEXUS.—Ex eo quod assensus fidei non est propter intrinsecam veritatem perspectam, sed propter auctoritatem, sequitur illum esse obscurum. Hæc tamen obscuritas non obstat summæ certitudini ipsius, quæ certitudo derivatur etiam ex auctoritate Dei revelantis.

NOTIONES.—*Obscurus* dicitur assensus in quantum non est evidens. Evidentia est clara et necessaria objecti intelligibilitas, quæ de facto sic intellectui appetit. Hanc evidentiam non habet assensus fidei. Evidentia potest esse *interna* et *externa*. Internam evidentiam habet aliquis assensus si affirmit nexus inter subjectum et prædicatum quia intellectui appetit evidens. Externam evidentiam habet assensus, si affirmit nexus inter subjectum et prædicatum quia intellectui appetit evidens non in seipso, neque ex medio intrinsece connexo cum terminis, sed ex medio extrinsece tantum connexo cum eis.

Essentialiter, ita ut nisi obscurus sit, nequeat esse actus fidei. Nota tamen aliquam evidentiam non deficere in actu fidei, evidentiam nempe credibilitatis. Quamvis ipse actus fidei sit simpliciter obscurus, certitudo facti revelationis numquam desinit illum illuminare ab extrinseco.

Certus dicitur assensus qui est firmus propter motivum infallibiliter conexum cum veritate. *Certitudo adhaesionis* designat firmitatem qua intellectus in assensu adhæret veritati sine dubitatione vel formidine errandi. Certitudo infallibilitatis designat connexionem cum veritate et habetur quando motivum assensus excludit possibilitatem erroris.

PARS I. Quoad obscuritatem actus fidei.

CENSURA.—Saltem theologicæ certa. Non docetur explicite a documentis Ecclesiæ sed supponitur in D 1796, 1673, 1789.

PROBATIO.—1) Ex S. Scriptura.

2 Cor 5,6; 1 Cor 13,12. (Ex his textibus colligitur obscuritas fidei si comparetur cum claritate visionis beatificæ; sed non videtur certo colligi obscuritas fidei, si comparetur cum scientia.)

Hebr 11, 1 argumentum *non apparentium*.

2 Petr 1, 19 lucerna lucens in caliginoso loco.

2) Ex Traditione.

R 417, 2144, 1223, 1057, 1498, 1826, 2318.

3) *Ratio theologica.* Ex eo quod assensus est propter auctoritatem loquenter et auctoritas ut talis nullam affert evidentiam objecti testificati.

Specialis obscuritas datur in mysteriis, quæ ita creduntur ut in eis convenientia inter subjectum et prædicatum non intelligatur (D 1796).

Scholion.—Juxta Lugo, Franzelin et alios qui in explicatione fidei catholicæ accedunt ad notionem fidei scientificæ, obscuritas fidei explicanda desumitur ex eo quod factum revelationis est pro me certum sed inevidens. Si sit evidens Deum aliquid dixisse et ex alia parte Deum non posse falli aut dicere falsum, eo ipso evidens est verum esse quod dixit, ergo ruit obscuritas fidei. Sed hæc teneri nequeunt. B. Virgo habebat cognitionem evidenter ejus Filium esse Deum et dicere verum, et tamen habebat fidem liberam et meritoriam. Cum Angelus locutus est ei, ipsa habebat plenam evidentiam eum loqui nomine Dei, et tamen Elisabeth, ejus cognata, gratulatur Mariæ eo quod credidisset Deo. Si fides nititur auctoritate, non appetet cur, ex eo quod hæc auctoritas fiat evidens, fides impossibilis redatur. Credere nihil aliud est quam assentiri nisus auctoritate; ex eo quod talis auctoritas appareat evidens, nullum obstaculum sequitur pro fide.

Alia quæstio disputata est utrum de aliqua re possit quis simul habere scientiam et fidem, negantibus aliis, aliis vero affirmantibus. Actus visionis stricte dictæ certe excluditur per obscuritatem fidei, sed non idem videtur dicendum de actu scientiæ; et habemus de facto quod Ecclesia jubet esse credenda multa de quibus potest haberri scientia D 994, 1782.

PARS XI. Quoad certitudinem actus fidei.

CENSURA.—Assensum fidei esse certum est de fide catholica, saltem ex Magisterio ordinario. Professiones fidei sæpe adhibent formulam: "Firmiter credo". Cfr. etiam D 738, 1797, 1817, 1635 ss.

PROBATIO.—1) Ex S. Scriptura.

Hebr. 11,1: fides est argumentum, i. e. ratio quæ convictionem certam inducit.

Rom. 4, 16-22 laudatur fides Abrahæ quia firmissime credidit. Multis in locis effertur veracitas Dei Jo. 3, 33; 8, 26; Ap. 19, 11.

2) Ex Traditione. R 846, 1686, 972, 562, 1303.

3) *Ratio theologica.* Quoad certitudinem adhæsionis: summum motivum postulat summam adhæsionem. Assensus mensuratur a motivo, nam influxus voluntatis non est ad supplendum defectum motivi de se insufficientis pro assensu certo, sed ad determinandum intellectum propter motivum de se sufficiens sed ex natura sua (quia non est evidens) intellectum non determinans.

Quoad certitudinem infallibilitatis: patet quod Deus sit omniscius et infinite verax, ergo si eum credo, necessario maneo in veritate. Potest accidere ut quis assentiatur ideo quia putet Deum aliquid revelasse quod tamen de facto non revelavit, sed talis assensus non est verus assensus fidei divinæ, quamvis talis existimetur.

Scholion.—Comparatio inter assensum fidei et alios assensus certos. Ratione infallibilitatis certitudo fidei est maior qualibet alia certitudine, quia mensuratur a motivo infinito et increato. Adhæsio commensuratur non motivis credibilitatis, sed motivo fidei prout est in se. Sed possiblitas dubitandi adest maior quam in aliis assensibus, quia hæc mensuratur ab evidencia, quæ certe in fide non datur. Sed hoc non obstante, fides dicenda est simpliciter certior qualibet alia certitudine naturali.

THEISIS VII

Assensus fidei est essentialiter liber

NEXUS.—Ex eo quod assensus fidei non est propter intrinsecam veritatem sed propter auctoritatem, sicuti sequitur eum esse obscurum, sequitur quoque eum esse liberum. Intellectus enim necessario non trahitur nisi ab evidentiā.

NOTIONES.—Non agitur de prærequisitis fidei seu de iudicio credibilitatis, sed de ipso actu fidei. Et dicimus hunc actum esse liberum, i. e., potest poni et non poni. Etiam post considerata motiva credibilitatis et postquam perventum fuerit ad certitudinem de facto revelationis, actus fidei non necessario sequitur, ut accidit in assensu scientifico. Tunc habet locum interventus voluntatis, qui est essentialis in actu fidei. Actus fidei non est actus scientiæ, non fundatur in motivis credibilitatis (quamvis hæc sint prærequisita necessaria et conditio sine qua non); fundatur unice in verbo Dei, cui credimus. Interventus voluntatis non est ad supplendam infirmitatem motivorum; sed e contra, præcise quia motiva sunt sufficientia, voluntas imperat spíritum ut hic faciat non iam actum scientiæ sed actum ordinis toto cœlo diversi a scientia, scil. actum fidei. Adhæsio simplicis auctoritatis essentialiter postulat hunc interventum voluntatis, natura sua dependet a voluntate. Rationabilitas talis actus optime iustificatur ex iudiciis quæ præcedunt actum fidei. Ex eo quod sit liber, actus fidei est meritorius.

ADVERSARIUS.—Estrix videtur nimis restrinxisse libertatem fidei, cum illam reduceret ad influxum voluntatis in attentionem præstandam ab intellectu rationibus credendi.—Hermes, contra quem Con. Vat., negabat assensum fidei esse liberum, nam fides pro ipso nihil aliud est quam persuasio necessaria inducta rationibus evidentibus.

CENSURA.—Assensum fidei esse liberum libertate quæ in scientia non datur, est de fide definitum in Vat. D 1814, 1791; Trid. 798.

PROBATIO.—1) *Ex Sacra Scriptura.*

Mc. 16, 16; 1 Jo. 3, 23; Rom. 4, 1 ss.; Apoc. 2, 19. Actus fidei præcipitur sub poena damnationis, et qui credunt, laudantur. Sed hæc non valent de actu necessario...

Non omnes qui audiunt prædicationem credunt: Jo. 3, 18 ss. Act. 13, 46; ergo audita prædicatione potest adhuc credi et non credi.

Fides vocatur obœdientia Rom. 1, 5; 16, 26; i. e., per fidem exhibetur obœdientia seu libera voluntatis submissio.

2) *Ex Traditione.*

R 245, 1634, 1821, 421, 2144, 1450.

3. *Ratio theologica.*

Assensus propter auctoritatem nequit poni nisi ex imperio voluntatis, quia unicum motivum trahens necessario intellectum ad assensum est evi-

dentina (hoc ex natura intellectus humani) (Cfr. S. Thomas 2.2 q. 1 a. 4; De veritate q. 14 a. 1). Et hoc valet etiam si adsit evidencia in attestante vel si adsit simul scientia de obiecto credito. Et extra hos duos casus libertas est adhuc maior.

THEISIS VIII

Assensus fidei est supernaturalis

NEXUS.—Nunc debemus loqui de alio charactere essentiali actus fidei, nempe de eius supernaturalitate, ut completa habeatur inquisitio de natura huius actus.

NOTIONES.—*Supernaturale* est donum Dei naturae creatae positive indebitum eique superadditum; potest esse *quoad substantiam* et *quoad modum*. Nos affirmamus entitativam supernaturalitatem actus fidei, seu *quoad substantiam*. Id est, “credere sicut oportet” seu actus *salutaris* fidei nequit elicita solis potentias naturalibus sine auxilio gratiae superaddito. Sed hoc non vult dicere quod non sit possibilis actus fidei pure naturalis; e contra, talis possibilitas videtur affirmanda: sicut possum credere homini, similiter possum credere Deo et nisus eius auctoritate divina possum elicere actum fidei pure naturalis. Talis actus elicitus a solis potentias naturalibus *psychologice* non differret ab actu fidei supernaturali, nam supernaturalitas non cadit sub experientia. Sensus ergo theseos est hic: actus fidei salutaris seu qui inserviat ad vitam æternam non potest fieri absque gratia. Etsi psychologicæ non appareat, *ontologicæ* tamen diversitas inter actum fidei naturalem et supernaturalem est quam maxima, quia in supernaturali concurrit vis divina ope cuius homo elicit actum aliquo modo divinum seu deiformem.

ADVERSARI1.—Pelagiani: juxta ipsos omnes actus salutares fiunt a solis facultatibus naturalibus. Semipelagiani solis viribus naturalibus tribuebant “initium fidei” et “affectum credulitatis” (*Initium fidei* intelligebant actum initialem fidei quo homo sese convertit et complexum actuum quibus homo se præparat ad baptismum; *affectum credulitatis* intelligebant ipsam fidem). Juxta Cassianum in Coll. X111 hæc omnia fiunt sæpe a libero arbitrio sine gratia. Hermes ad fidem nullam gratiam requirebat utpote quæ necessario a cogentibus argumentis causaretur.

CENSURA.—Actum fidei esse supernaturale est de fide definitum. D 141, 178-79, 199, 200, 798, 813, 1791, 1814. Supernaturalitatem hanc esse entitativam est sententia communis et certa.

PROBATIO.—1) *Ex Sacra Scriptura.*

Jo. 6, 44 s. Nemo potest venire ad Christum nisi trahatur a Patre, i. e. sine gratia interna nemo potest credere. Xtus. explicat incredulitatem iudæorum ideo quia gratiae internæ quæ ad credendum necessaria est, ipsi nolunt cooperari.

Eph. 2, 8; Phil. 1, 29 fides est donum Dei, non ex viribus naturæ, neque ex operibus.

2) *Ex Traditione.*

R 1978-1991, 2034-38, 2246, 1821 s., 1165, 1204, 1890, 2163.

3) *Ratio theologica.*

Ex proportione mediorum ad finem: cum finis (salus) sit supernaturalis videtur quod media non possunt positive conducere ad salutem nisi sint et ipsa supernaturalia. Iam vero per actum fidei positive coniungimur cum Deo, immo ipse actus fidei est radix et fundamentum totius vitæ religiosæ supernaturalis.

Scholion.—Supernaturalitas actus fidei non debet explicari ex motivo (auctoritas Dei), quia differentia motivorum fidei in fide naturali et in fide supernaturali (quam ponunt thomistæ) contradicit experientiæ. Ergo supernaturalitas explicari debet ex principio eliciente.

Omnia quæ hucusque diximus clare complectitur definitio quam S. Thomas præbet fidei theologicæ: "ipsum autem credere est actus intellectus assentientis veritati divinæ ex imperio voluntatis a Deo motæ per gratiam" 2. 2 q. 2 a. q.

In complexu fidei dantur velut tres gressus:

1) Primo intellectus affirmat certo existentiam motivi fidei pro determinata veritate: hoc (v. g. Trinitas) a Deo revelatum est, unde hoc est mihi credibile et credendum. Hoc iudicium causatur a motivis credibilitatis et credenditatis; non autem est assensus fidei divinæ, sed est assensus scientificus. Per illud non creditur Trinitas sed scitur Deum revelasse Trinitatem.

2) Deinde voluntas imperat intellectui ut assentiatur Trinitati propter auctoritatem Dei revelantis, id est, ut faciat assensum quem illa auctoritas prout est in se meretur quique proinde illi auctoritati commensuratur. Motivum huius actus est bonitas quæ habetur in submissione intellectus et voluntatis Deo Creatori et fini ultimo.

3) Tandem intellectus assentitur Trinitati illa firmitate quam voluntas imperaverat. Motivum internum huius assensus est auctoritas Dei revelantis prout est in se. Hoc motivum iam præcognoscatur ante imperium voluntatis, nec ulterius cognoscendum est intra assensum fidei. Assensus vero fidei ponitur prout a voluntate imperatus fuerat: fuerat autem imperatus talis qualis auctoritas Dei prout est in se meretur, non qualis meretur nostra actualis cognitio auctoritatis Dei. Unde non credo Trinitatem quia credo vel video vel scio Deum illam dixisse; sed simpliciter quia Deus dixit.

Quoad rationabilitatem actus fidei cfr. Bainvel, 2 p. c. X. Quamvis pro analysi facienda opus est secernere actum fidei a motivis credibilitatis, tamen in realitate concreta non est prætereundum quod omnia sunt coniuncta, nam idem homo est qui videt motiva et qui credit.

Relations inter fidem et rationem, cfr. Vat. D 1795 ss.

THEISIS IX

Actus fidei stricte dictæ requiritur necessario ad iustificationem necessitate mediæ

NEXUS.—Postquam investigavimus naturam actus fidei, nunc iam de necessitate talis actus ad salutem nobis agendum est.

NOTIONES.—*Actus fidei:* ergo agitur de actu et non de habitu fidei (hic infunditur in ipsa iustificatione). Iustificatio intellegitur adulti, non pueri

(puer non valet elicere actum fidei sed iustificationem accipit in baptismō una cum habitu fidei).

Notio iustificationis: "Translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ et adoptionis filiorum Dei, per secundum Adam, Jesum Christum Salvatorem nostrum" D 796.

Fides potest esse *stricta* (si sit assensus propter auctoritatem Dei revealantis) et *lata* (si sit assensus ex manifestatione Dei in creaturis). Prima respondet revelationi stricte dictæ; secunda revelationi late sumptæ. Utraque potest esse supernaturalis et naturalis, prout habeat principium eliciens supernaturale vel non.

Necessarium necessitate medii: quod est necessarium tamquam medium in finem obtainendum influens; ideo, etiam inculpabiliter omissio, finis non obtinetur. *Necessarium necessitate præcepti,* quod ideo tantum est necessarium quia præceptum est; hic necessitas oritur ex ipsa obligatione præcepti; ideo inculpabiliter omissio, adhuc finis obtineri potest.

ADVERSARI1.—Vitoria tenuit sola cognitione Dei naturali posse aliquem iustificari. Soto proposuit sententiam: inter existentes in lege naturali forsan aliquem potuisse iustificari per fidem late dictam naturalem, quam sententiam in secunda editione reprobavit. A. Vega putavit defendi posse sententiam iuxta quam si sit adultus qui invincibiliter ignoret Deum, ille posset iustificari per fidem late dictam naturalem. Ripalda proposuit probabiliter sufficere fidem late dictam, dummodo esset supernaturalis. Nonnulli theologi in Belgio exeunte saec. XVII tenuerunt fidem late dictam supernaturalem sufficere ad iustificationem. Haec thesis publice propugnata est Antuerpiæ anno 1674 sub directione P. Arnoldi Marchant, O. F. M. Gutberlet exeunte saeculo XIX eandem sententiam ut probabilem propugnavit, ita tamen ut adderet votum seu desiderium fidei strictæ.

CENSURA.—Aliqua vera necessitas actus fidei stricte dictæ est de fide definita. Necessitas maior quam per merum præceptum, item de fide definita. Necessitas medii, videtur saltem implicite definita. D 178, 799, 801, 1173, 1645.

PROBAT1O.—1) *Ex Sacra Scriptura.*

Salus æterna pendet a fide, quæ evangelio præstetur Mc. 16, 15 s.; Jo. 3, 36; 5, 24; 8, 24; Rom. 1, 16; 3, 28 ss.

Hebr. 11,6 sine fide impossibile est placere Deo. Affirmatur vera necessitas fidei strictæ (de hac enim agitur in toto capite), et necessitas quædam absoluta, cuius si exceptio daretur argumentum Apostoli nihil probaret.

2) *Ex Traditione.*

R 2260, 1450, 289, 531, 1445 s. Unanimitas theologorum eo magis notanda est, quod ex necessitate fidei stricte dictæ sequatur magnū et difficile problema iustificationis infidelium.

3) *Ratio Theologica.*

Ad hoc ut sit possibilis conversio hominis ad Deum ut finem supernaturalem, homo prius debet illum ut talem cognoscere, quod fit per actum fidei strictæ.

Scholion.—Theologi communiter docent hic agi de necessitate medii in re; ergo haec necessitas non suppletur per votum aliquid, proinde actus fidei requiritur in re. Votum vocatur actus aliquis supernaturalis qui vim illius medii in se contineat ideoque illud supplere possit; sic actus cari-

tatis pro baptismo. Iam vero, sicut ex natura rei nullus datur actus qui possit supplere statum gratiae sanctificantis, et propter hanc rationem status gratiae est necessarius necessitate medii in re ad salutem, sic nullus est actus supernaturalis qui possit supplere actum fidei, cum ille sit fundamentum et radix aliorum.

P. Straub novam quamdam sententiam induxit. Ipse proposuit fidem stricte dictam *virtualem*, quae fidem stricte dictam *formalem* suppleret in ordine ad iustificationem. Hæc autem fides virtualis est assensus supernaturalis, super omnia firmus, qui in Deum fertur ut in primam veritatem, non tamen in Deum revelantem, sed prout meretur ipsa prima veritas. Paucis verbis, fides virtualis consistet in eliciendo aliquem actum qui contineat eandem perfectionem specificam quam habet actus fidei formalis, cum hac sola differentia, scil. quod fides formalis nititur verbo Dei revelato, fides vero virtualis cognitione et agnitione illius revelationis late et improprie dictæ quam Deus fecit de Se in creatione et directione ordinis naturalis. Sed hæc sententia non videtur salvare differentiam essentialiem inter Deum existentem et Deum revelantem, inter ordinem obiectivum naturalem et supernaturalem. Ad hoc ut sit possibilis commercium hominis cum Deo ut sine supernaturali videtur igitur requiri necessitate medii absoluta, cognitio *Revelationis*.

Quoad veritates explicite necessitate medii ad minimum credendæ, probabilius ad has duas reducuntur: Deum esse et remuneratorem esse (Hebr. 11,6). Remunerator vero intelligitur in ordine supernaturali, prout ex revelatione nobis innotescit, seu Deus dans præmium vite æternæ. Utrum fides explicita requiratur, disputatur inter theologos. Practice sententia tuior sequenda est. D 1349.

De *infidelibus negativis*.—Ex traditis in thesi difficile problema exsurgit, quod vocari solet de infidelibus negativis. Vocantur infideles negativi homines qui sine ulla sua culpa factum revelationis ignorant. Hi proinde credere nequeunt. Ergo ex doctrina tradita neque iustificari neque salvari possunt. Cum autem totum hoc sit sine sua culpa, quæritur quomodo componi possit cum voluntate salvifica universalis et cum sanctitatis Dei. Et vera multi homines versantur in his adjunctis. In quolibet tentamine solutionis hæc tenenda sunt: 1) si quis adultus salvatur, non sine actu fidei salvatur; 2) si quis adultus non salvatur, non sine sua culpa damnatur. Quoad solutiones propositas cfr. Caperan et Harent (*Infidèles DTC*). Hoc dicendum videtur: Ecclesia catholica est via ordinaria salutis in præsenti providentia, sed non est unica via simpliciter. Axioma theologicum est: Facient quod est in se Deus non denegat gratiam; ergo Ipse providebit pro tali iuxta multitudinem miserationum suarum ut ad veram fidem pervenire possit.

Præter necessitatem medii, datur præceptum actus fidei eliciendi D 1101, 1166. Hoc præceptum urget plus quam semel in vita et non sufficit semel credidisse in vita mysteria Trinitatis et Incarnationis D 1167, 1215.

Scholion.—De *inculpabili defectione a fide*. Quæstio est utrum catholicus qui fidem iam habet possit pervenire ad persuasionem *subiectivam* vel de falsitate religionis catholicæ vel saltē de incertitudine ipsius, et quæritur maxime utrum hoc accidere ita possit, ut catholicus sine ulla sua culpa ad talem statum perveniat. Supponimus catholicum qui semel habuit certitudinem de credibilitate religionis cristianæ ac de Magisterio Eccle-

